

E. v. r. A. n. 3

Apostrophe B. Raymond.



V. 9 221





APOSTROPHE  
DNRIS ILLUMINATI,  
AC MARTYRIS  
GLORIOSISSIMI BEATI  
RAYMUNDI LULLI  
BALEARIS.


OPVS PRÆCLARVM, IN QVO NE-  
cessariis rationibus mysteria Sacrosanctæ Fidei  
Catholicæ probantur, quod Sanctissimo Papæ  
Innocentio XI. D. O. & C. Dr. Petrus  
Bennazar Alma Sedis Maiorica-  
rũ Canonicus, B. Martyris  
Lulli Devotissimus.



Palmae Balearium Typis Viduae Guasp Anno MDCLXXXVIII.

REPUBLICA DE COLOMBIA  
MINISTERIO DE CULTURA  
SECRETARÍA DE CULTURA  
BOGOTÁ, D. C.

CONVOCATORIA  
AL CONCURSO DE OBRAS DE ARTE  
PARA LA ELABORACIÓN DEL  
LOGO DE LA INSTITUCIÓN  
NACIONAL DE HISTORIA Y MEMORIA





SANCTISSIMO  
D. N. INNOCENTIO XI.

DIVINA PROVIDENTIA,  
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

**B**EATISSIME PATER: Apostolicam vitam ducens pius Heremita Raymundus Lullus Nobilis Balearis; dum in humanis agebat Romæ, ubi salutem, & conversionem infidelium, expugnationemque urbis beatæ Ierusalem vigilantèr procurabat, librum conscripsit: *Apostrophe* intitulatum, in quo, fide supposita, necessariis rationibus mysteria Sacrosanctæ Fidei Catholicæ probat, ad hoc, vt devoti Christiani, istis mediantibus, confundere possint infideles quoslibet, ac eorum iniquas sectas destruere; dictumque librum Santissimo Papæ Bonifacio octavo fœlicis recordationis meritissimè obtulit; cupiens autem ego præfatum librum Typis dare, devotione ingenti, quam profiteor erga piissimum Lullum Magistrum meum charissimum motus, eiusque inherendo monumentis, Sanctitati vestræ illum dicare decrevi, vt sub tam firma custodia securus extet, quicumque enim sub vexillo Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius Summus Pontifex caput existit, vti Christi Vicarius, cui suis vices, & potestatem ipse credidit, reponitur, perire nequaquam potest.

Tu enim Pater Santissimæ Dignissimus Pastor existis illius Ecclesiæ, quæ rectissime comparatur civitati illi, de qua gloriosa dicta sunt, vt dicitur in Psal. 86.  
quid



Divina Bonitas bonificasset, iuxta promissionem Christi firmissimam, quæ cum eisdem semper existit, & usque ad consumationem sæculi existet.

Tu enim Ecclesiæ Catholicæ Pater: utrumq; gladium divina ordinatione suscepisti, spiritualem, videlicet, ac temporalem, nam sicut Christus, solus est Sacerdos, & omnium Rex, ita par est, vnum quoque esse Vicarium, qui omnes eius vices gerat, ut ex Hieremia facile constat, quando dicit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & Regna*, sed cum eminentius multo sit spiritualia gerere, ideo tu pater Santissime, ad securius vacandũ, rebus divinis cõtent' iurisdictione spirituali, & parte Imperii mundani, reliquũ vero Principibus Christianis competis, quia ad hoc etiã, á Deo electi sunt, & vocati, qui quidẽ omnes Ecclesiæ tuæ subiiciuntur potestati, ut Divinum Tabernaculum, cuius fundamentum est Christus, quẽ dedit Deus Pater, ut caput supra omnem Ecclesiam, sed cum eius magna Magestas non ferret, ut hic semper visibilis maneret, constituit suo loco Vicarium suum, dilectum Petrum caput Ecclesiæ, supraque eum ædificatam Ecclesiam, quatenus, & ipse in Christo fundatus, & virtute eius solidatus est, cuius loco succedis tu Pater Beatissime, & tuæ Papali potestati necessario expetit, ut omnes terrenæ potestates subdantur, ut ex ante dictis apparet, quod plurimis exemplis confirmatur; ubi enim sunt Ecclesiæ hostes, ac insidiatores, constantius scilicet Arrianus, Valens, Iulianus apostata, Athanasius, Hilaricus, Gensericus, Honoricus, Atila, Zeno, Totila, Thco-



Theodoricus, Constantius tertius, & quartus, Federicus primus, & secundus, Otto quartus, Ludovicus quartus, Nero, Decius, Maximianus, & quam plurimi alii Ecclesiæ infectatores cum suis complicitibus, qui præfatam Romanam Ecclesiã suffocare omnigeni nitebantur numquid prævaluerunt? Ecce hodie ingentissima gloria floret Sancta Romana Ecclesia, & verus Dei cultus, illi autem, si penitentiam nõ egerunt, apud inferos contremiscunt, ubi enim est illorum successio, evanuit certe tanta maiestas, iusto Dei iudicio, eos puniens, qui eius Ecclesiam Sacrosanctam infectare conantur; Imperium enim Christianorum, plurimis abhinc annis, teneri audio, á felicissimis viris, ex altissima austriaca prosapia mundi nobilissima, divina ita disponere providentia ortis, quod summa felicitate hodierna die regit Augustissimus Leopoldus Romanorum Rex, & de Monarchia Othomana innumeros triumphos obtinet; vtrumque etiam mundum gubernari video felicissime, á Catholicis Hispaniæ Monarchis, ex eademmet austriaca prosapia similiter ortis; & scis quare tam ingenti felicitate, pace, ac quiete, scepra sua tenent, ea ratione, ut recta mente existimo, quia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientissimi humiliter profitentur; & si Deus est pro nobis quis contra nos; Ecce regnat fides sancta videntibus, & invidentibus inimicis, dentibus suis frementibus, & tabescentibus, nihil contra manum Dei Omnipotentis facere valentibus, iuxta psalmistæ prophetiam dicentis: Dixit Dominus Dño  
meo





meo, sede ad dextris meis, donec ponam inimicos tuos,  
scabellum pedum tuorum, & iterum dicit sæpe ex-  
pugnauerunt me, à iuventute mea, ætenim non po-  
tuerunt mihi; Calum autem, & terra transibunt, verba  
autem Christi dicentis: *Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad con-  
sumationem sæculi*, non præteribunt; advertant igitur sen-  
sati principes Ecclesiã insectantes, quod eis vtile sit, &  
salubre, post tot annorum curricula, ac tam varios  
rerum eventus, vbi nullus inquam Ecclesiæ hostis  
prosperatus est; summam obedientiam Sacrosanctæ  
Romanæ Ecclesiæ, eiusque Vicario, omnimodè pro-  
fiteri, si Divinum adiutorium habere peroptant, qui  
enim præcepta Christi adimplet, in tenebris non am-  
bulat, Ecclesiam verò Catholicam, Spiritu Sancto  
dictante Christus instituit; gaude igitur, ac lætare Sãc-  
tissime Pater, quia tam supremo innixus fundamento,  
omnes hostes superabis, Sarracenos, destruhes, & in  
omnibus feliciter intentum tum pium, ac iustum  
adimplebis.

Itaque Beatissime Pater, hodierna die Sacrosanctam  
Romanam Ecclesiam iustissime Regens, Innocentii  
XI. nomine, Pontifex optimorum melior, maximo-  
rum maior, vineæ Ecclesiasticæ Custos, gregis Ca-  
tholici Pastor, Dei simulacrũ, prudentiæ fons, bonita-  
tis speculum, gloriæ gloria, iustitiæ protector, Sarra-  
cenorum flagellum, principum conciliator, immen-  
sæ molis erector magnificus; duobus vero gladiis, spi-  
rituali, nempe, & temporali munitus, cuius Imperiũ  
magnum, terminatur cum stellis, cuius scepro obedi-  
mun-



mundus, ac contremiscit infernus, cuius claves aperi-  
unt, & claudunt paradisum, sub umbra cuius provi-  
dæ Rectoriæ, viret pax, abundantia floret, deperdita  
virtus recuperatur, sub cuius aquila iacet prostratus  
draco, à cuius pede, conculcata remanet cuncta hæ-  
resis, omnisque error, sub tuis pedibus humilitér prof-  
tratus deprecor sanctitatem vestram, vt sub eius tu-  
tela, *Apostrophe*, pii eremitæ Raymundi Lulli, Docto-  
ris Illuminati, ac Martyris gloriosi, acceptare dignetur,  
Amen.

*Humilis Sanctitatis vestræ filius  
Petrus Bennazar Alme Sedis  
Maioricarum Canonicus.*



PRÆ]



P R Æ F A T I O.

CUM intelligere recte ( studiosissime Lector ) ad omnia sit utile, & homo, ut ait eloquentissimus Cicero, ad duas potissimum res natus sit, ad intelligendum nimirum, & agendum; igitur deprehendit vir ille prudentissimus, scientia, & virtute sublata, hominem, non hominem sed veram potius belluam esse; & nonne hoc ratione utile acceptum ferendum? Quis dubitare potest, si recto intelligere mediante, bonum, à malo secernitur, separatur ab iniusto iustum, & à falso quod verum est, seiungitur; movit profecto res hac divinum illum Platonem, ut homines admoneret in contemplatione, ac cognitione, rerum sublimium versari. Plurima extant in universo orbis theatrogentes, quæ quidem intelligunt, sed nullatenus recte intelligunt, quia Deum recte non agnoscunt, in multis erroribus existentes, contra veram ac Sacrosanctam Fidem Catholicam, in cuius rebus, qui delinquit in vno, censetur omnium reus, intelligunt hæretici, intelligunt Scysmatici, intelligunt Saraceni, sectarii quilibet, & Gentiles omnes, verumtamen false, & non recte intelligunt, quia à vera via deviantur, defectu veri intelligere, intelligit autem Catholicus Christianus, & recte intelligit; & scis quare? Quia intelligit Sacrosanctam Fidem Catholicam, quam tenet Sancta Romana Ecclesia, veram esse, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit; in istam non credunt infideles, propter hoc, quia in suis iniquis sectis fortiter radicati, impie existunt, nolunt enim ad illam converti, quia credere pro credere, modo aliquo relinquere nolunt, ut ait Illuminatus Lullus, in libro disputationis quinque

homi-



hominum sapientum; rationes igitur petunt demonstrativas  
& necessariae fidem catholicam probantes, ut eis median-  
tibus, credere suum, pro credere, & intelligere relinquunt;  
has conati sunt Sancti Patres inquirere, aliquas decanta-  
runt, sed notitiam potius generalem, quã specialem in suis  
monumentis reliquerunt; optime vero dari tales rationes  
asseruerunt, ut ait divus Anselmus in Monologio cap. 13.  
his verbis: Duo opuscula feci, &c. ut certa ratione, non  
authoritate, quæ ad Deum pertinent, manifestarem,  
quam rationem, seu rationes, sepe appellat necessarias, &  
per ipsas monstrare profiteretur mysteria fidei. Divus Thomas  
Aquinas cum Anselmo concordat in primo Sententiarum,  
in fine tertii quæsti primæ divisionis, ubi sic describit:  
sed tamen ratio manu ducta per fidem, excrefcit in  
tantum, ut ipsa credibilia pœnitus comprehendat, &  
tunc ipsa quodam modo intelligit. D. etiam August.  
lib. 2. de libero arbit. cap. 2. sic dixit: rationem red-  
diturus sum, non ut fidem respuas, sed ut ea jam fi-  
dei firmitate tenens, etiam rationis luce conspicias.  
Ricard. de Sancto Victore, idem confirmat dicens:  
quod ad ea quæ sunt fidei, non solum possunt haberi  
rationes probabiles, sed etiam necessarias, licet eas  
contingat interdum nos latere, & in lib. de Trin cap.  
8. promittit, se non solum fide, sed etiam rationibus  
necessariis Dei unitatem, & personarum Trinitatem  
ostensurum; & D. Thomas á Villa nova conc. 2. de  
Corpore Christi hæc profert: quia non per intelligen-  
tiam, fidem adhibemus, sed per fidem, ad intelligen-  
tiam ascendimus, sicut scriptum est: nisi credideritis,



non intelligetis. Idem dicit R. P. Josephus Ferrer Ord. Min. Discalceatorum, in Pharo Evangelico, tract. 2. de Generat. Aeterna sec. 17. super locū Isaiæ: nisi credideritis, &c. Verbis his: necessarium est donum fidei, quod acuat intellectum, ut ita dicam ad intelligendum sicut oportet. Dixit etiam David Propheta in Psalm. credidi propter quod locutus sum &c.

Tandem vero in lucem prodiit Divinus ille Lullus Cælitus illustratus, qui quidem Artem generalem descripsit, cuius principiis, & regulis, quilibet fidei articulus, ipsa fide supposita probari potest; pulchre illud præcantavit Doctus Athan. Kircherius Soc. Iesu, in Com. Artis Lullianæ lib. 8. sec. 2. de Controver. Fidei cap. 1. de Fidei principiis, verbis his: non est articulus fidei, qui non arte nostra scitè, & eruditè cōtra Neothericos decidi possit, &c. Plura enim fidei mysteria, per principia, & regulas Lullianæ Artis probat Kircherius in præcitato loco. Itaq; piissimus Eremita, ac fidei lampas semper ardens Lullus, Romæ præsens. Anno 1296. & exaltationem fidei, ac fundationem seminariorum linguarum orientalium, à Santissimo Papa Bonifacio VIII. constantissime petens, librum descripsit. Apostrophe intitulatum, ac præfato Santissimo Papæ dicavit, in quo necessariis rationibus veritatem mysteriorum fidei omnibus demonstravit, uti per eas, adiuti, missionarii, infideles quoscunque convertere valerent, & credere eorū pro credere, & intelligere Christianorū relinquere valerent, uti vi veritatis convicti, & superati, veritas enim omnia superat, quæ Lullus semper, uti scutum inexpugnabile,



in corde suo portavit, ideoque nullo unquam tempore con-  
victus fuit, est, nec erit, & librum prefatum, Sanctissi-  
mus Papa Bonifacius octavus, custodiri iussit in Bibliote-  
ca Vaticana, ut publica utilitati inserviret, ut refert  
Pater Vernon, in Lulli Apologia ad Sanctissimum Papam  
Clement. IX. dicata. cap. 27. qua propter Doctissimus  
Kircherius, de Lullo loquens, in prefatione ad Artem mag-  
nam sciendi, verba hæc profert: Hoc scio: Lulum ho-  
minem Deo deditum, & Sacrosanctæ Romanæ Ec-  
clesiæ propagandæ zelo ardentissimum, vii eius relic-  
ta posteritati monumenta, fat, superque testantur.

Igitur librum hunc, divinus Lullus, omnibus præcan-  
tavit, ut fide, spe, & charitate moti devotiss. Christiani,  
infideles reducerent satubrius ad Sacrosanctam Fidem Ca-  
tholicam, Deumque summe bonum, rectè diligerent, ac in-  
telligerent, ut veri sapientes appellari possent, vera enim  
sapientia est: Deum rectè diligere, & agnoscere, quia ini-  
tium sapientiæ timor Domini; perspice igitur benevole Lec-  
tor Lulli rectam intentionem, & mentis sinceritatem, ac  
eius rationum infallibilitatem, illius imitari vestigia, qui  
verbo, opere, & exemplo, Sacrosanctam Legem Catholicam  
ampliare, tam acerrimè conatus est, per spatium quinquag-  
inta annorum, quousque pro eius propugnatione, martyri-  
o coronatus est, quod si ita operaris Deus tibi dabit gloriam sæ-  
piternam; lege igitur, & diligenter percurre librum hunc,  
& infusa scientia plenum, illum recognosces; quidquid  
enim per umbras enuntiaverunt Sancti Patres, illud B.  
Raymundus, ut Spiritus Sancti organum, ac Dei procu-  
rator, ingenti claritate præcantavit, cunctorum sapientiæ,



*ac ceterorum admiratione. Vale igitur Lector quicumque  
sis, & in omnibus Deum lauda, uti fontem Divinae Sapien-  
tie, qui tam peculiariter Lullum infusa scientia replevit.  
Palma Balearium, Die 13. Junij 1688.*

*A P P O B A T I O.*

*AD MODVM R. P. M. Fr. ANTONII ROIG,  
Ordinis S. Augustini, S. Officii Qualificatoris, olim  
Prioris Conventus B. Mariae de Succursu Civitatis  
Maioricensis, ter Vicarii Provincialis, ac Visi-  
tatoris Insularum Maioricæ, ac Minoricæ,  
Definitor Provinciae Aragoniæ, &c.*

**D**E Mandato Perillust. D. I. V. D. Michaelis Fede-  
rici Saceloni Almæ Sedis Mai. Præcentoris, atq;  
Illmi. ac Rmi. D. D. Petri de Alagon Regii Con-  
ciliarii, Archiepiscopi, Episcopi Maioricen. Meritissi-  
mi Vicarii Generalis: Attento animo perlegi tractatū  
Illuminati Doct. Ray. Lulli, cui titulus est; Apostro-  
phe, & merito, nam quod á Spiritu Sancto Auctor  
accepit, ad nos convertit; quem Perillust. Dñs Sacræ  
Theol. Dr. Petrus Bennaçar Balear. Cathredalis Ca-  
nonicus, Pro sua pietate, ac Religione, postremo ty-  
pis mandare intendit, atque SS. Dñi N. Innocentii XI.  
pedibus subicere; in hoc Auctorem sequens; qui jam  
olim dictum tractatum, in prima editione, Bonifacio  
VIII. felicis recordationis, obtulerat.

Perlegi, inquam, Apostrophe, non censendi ani-  
mo; et si mirabilia Dei in sanctis suis, videndi, & cū

Ber-



Bernardo fateor; *malé habetur liber, qui sine auctore suo non defenditur, ipse igitur per se loquatur.* Aetenus SS. PP. nobis articulorum fidei naturalem non repugnantiã ministraverant; Raymundus vero, volumine hoc, protulit jam naturalem evidentiam. Sed quid mirum? Si liceat mihi fari, de Raymundi scientia, quod de Ecclesia fatus Propheta fuit: *fundamenta eius in montibus sanctis: fundavit eam altissimus.* Si ergo Raymundi doctrinã in Randino monte altissimus fundavit, quid admiramini eam tam solidis inniti fundamentis? Laudate Dominum omnes in Raymundo, quoniam in ipso, confirmata est super nos misericordia eius, dum per ipsum nobis tale opus ministravit; de quo mihi solum cum Plinio superest dicere, quod ipse de libris Maximi confessus fuit: *est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum, etiam, & cum magna tua laude diffusum.* His telis tam acriter contra infideles pugnetur, ut ipsis efugium lateat, quia si divinas revelationes credere nolunt, naturales rationes negare nõ possunt cum omnibus communes concinant, & quod scripturæ negatur, natura solidatur. Quid ergo mihi dicere superest?

Vnum, inter tot præconia laudum mihi restare videtur, nempe exortationem ad omnes dirigere, ut hanc Raymundi doctrinã amplectantur: gustate igitur, & videte quoniam suavis est Dñs; ne de vobis suspiscetur, quod de pertinace Propheta dixit: *noluit intelligere, ut bene ageret.* Nam nulli sanæ mentis, ac

piæ



pia voluntatis affecto displicebit Raymundi doctrina, si illam attenté percurrat, imó placente doctrina, mirabitur de Raymundi charitate, zeloque de fide catholica amplificanda, atque in fidelibus diffundenda, simulq; bonitatē, quā ipse semper in ore habebat, laudabit, & forte de Auctore Canet, quod de Christo Ioannes affirmavit: *tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Id est charitas, doctrina, & passio, & hi tres unum sunt: glosat Lyra, quia conveniunt in assertione unius veritatis.* Tantæ charitatis incendio Lullus flagrabat, ut á se percontantibus, quis suus pater esset? Respondebat, amorem esse. Unde veniebat? De amore. Quo tendebat? Ad amorem. Quo subsidiū vitæ dabat? Amore. Vbi degebat? In amore se morari, affirmabat. Quid de firmitate scientiæ ipsius fatear? Historiographi canant: *apparuit illi Christus Crucifixus, tunc subito illustratus, sensit intra se fontem infuse scientiæ.* Quid amplius loquar? Non plus ultra fatear. Quæ omnia Raymundi martyrio pro Fide Catholica dilatanda confirmata fuere. Et hi tres unum sunt, quia conveniunt in assertione unius veritatis; scilicet in stabilitate Raymundi virtutis, & magnitudinis coram Deo: divino oraculo attestante: *qui fecerit, & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Unde de Raymundo cum Plinio concludo: *beatos quibus datum est, aut facere scribenda, aut scribere facienda; beatissimos vero quibus utrumque.*

Nunc autem ad te, Perillustris Dñe, exortationem  
meam



meam dirigo cernue precans te, vt quanto citius,  
volumen hoc prælo mandes, atque in manibus San-  
ctissimi Domini Nostri Innocetii XI. colloces; vt  
ipse tanquam Moyfes, supra montem orans Eccle-  
siae, hæc invincibilia arma contra Mahumetanos  
præliantibus diffundat; vt tanto clypeo muniti bel-  
lantes prælia Christi, non solum corporaliter, sed  
spiritualiter vincant, donec terrestrem, Cælestem-  
que Ierusalem consequantur. Ita sentio, in Conven-  
tu Beatæ Virginis Mariæ Succursus Maioticarum  
Ordinis Eremitarum Observantium S. P. N. Augu-  
stini die 29. Iunii 1688.

*Fr. Antonius Roig.*

Die 15. Septembris 1688. Visa approbatione Ad-  
modum Reverendi Patris Magistri Fratris Antonii  
Roig Ordinis Sancti Augustini, Sancti Officii Qua-  
lificatoris, olim Prioris Conventus Beatæ Mariæ  
de Succursu Civitatis Maioricensis, ter Vicarii Pro-  
vincialis, ac Visitatoris Insularum Maioricæ, ac Mi-  
noricæ, Definitor Provinciæ Aragoniæ, &c. Con-  
cedimus licentiam, vt imprimatur præsens opus  
Beati Illuminati Doctoris, Martyris Raymundi  
Lulli.

*Sançeloni Vic. Gen. & Off.*



DOCTORIS  
DON FRANCISCI

DE TOGORES SACRATÆ  
PRIMARIÆ AEDIS ALMÆ  
SEDIS MAIORICARVM CA-

nonici adiudicatio, atque in

Auctorem dilaudatio.



OSTRI Seryatoris Iesu  
Athletæ, Beati scilicet Mar-  
tyris, simulque cælitus il-  
lustrati Doctoris Raymun-  
di Lulli *Apostrophe ad Pon-*  
*tificem, Barcinone, editum*

anno Domini 1504. & recenter anno 1651.  
Argentorati, cum inscriptione de articulis fi-  
dei, mihi ex singulari delegatione D. Dris.  
D. Melchioris de Sisternes in Balearico  
Regiæ Audientiæ Senatu Regentis, Regii-  
que Confiliarii solertissimi, prævidendum,  
ac providendum, occurrit extempló dictum  
illud eloquentiæ profluvii: *Nihil est Doctore*  
*frigidius, qui verbis tantum Philosophatur, non*  
*exemplis; neque enim hoc Doctoris est, sed histrio-*  
*nis; fabularum actor dicitur non, divinarum*  
*rerum buccinator: verus Doctore, qui vitæ Sanc-*  
*timoniam cum doctrina legibus coniungit. Talis,*  
*inquam*

Divus  
Ambrosi



inquam, extitit Magnus heros Beatus Ray-  
mundus Lullus. Si enim divorum exempla  
monumenta quædam sunt, quæ nunquam  
patiuntur eorum dicta præterlabi, facta inte-  
rire, memoriam aboleri: Non moritur, qui  
honestè vivit; non decedit, qui egregiis ope-  
ribus excellit: oblivionis in tenebras non  
abit, qui singularium clarescit lumine exem-  
plorum: imò illa, quæ ocysima marcescit  
Eloquentia, si in cultissimis virtutum hor-  
tulis efflorescat, non perit, sed perennat.

Ea causa est quare Beatissimum heroã  
nascentis, & obeuntis solis ornamentum lon-  
gè maximum Raymundum ( tale namque  
nomen, Radium personat mundi ) etiam nũ  
liceat vivum intueri, præsentem venerari, do-  
centem exaudire. Age verò; quæ virtutum  
monumenta, supra Doctrinam, á viro Beato  
deprædicas excitata? Utinam quam multa  
illa sint, mihi dicere liceret, si minus possem  
illustrare: plura enim vnus Raymundus ex-  
citavit, quam omnes simul Oratores valeant  
recensere. E pluribus tria seligo: *asperitatis*  
*in se ipsum; pietatis in homines; charitatis in*  
*Deum*, ea nobis Lullus posuit monumenta,  
quæ nulla possint annorum serie labefactari.

Quis vnquam atrocius in hostes bellum,  
quam Raymundus in se ipsum comparavit?  
Primum, suum ipse animum corporis in-



clusum Eremono ad extremum spiritum acer-  
bissima pressit obsidione omnes aditus ob-  
struxit, omni comeatu interdixit, omne vo-  
luptatum praesidium amovit. Iam vero illas  
sensuum portas, quae ad mentis arcem ferunt,  
ita clausit, ut ahenis plusquam repagulis  
munitae viderentur.

Non dico, quos frigoris calorisque appul-  
sus imbecillo corpore exceperit taceo, quas  
faxorum, sylvarumque asperitates nudis plan-  
tis velans, & volans superarit: sileo, quae in  
loca ventis pervia, rupibus praedura, pluviis  
obiecta se receperit corroso penitentiae habi-  
tu cubiturus: omitto, quae in se Zonis cili-  
cinis, crudis loris, hamatis flagellis exercue-  
rit lanienam: praetereo, quos dies jeunium  
transegerit, & gustandi sensum, maxime vo-  
lupturium domuerit, ut se totum inscriptioni  
mortalibus salubri dederet. Vnum memoro,  
quod licet quadam gloriam olim hauserit in-  
equitandi amandi, sequae phalerandi palestra,  
vbi perinde clarus fuit; illam, inquam, vanam  
occupationem abire sibi noluit impunitam.  
Corpus ita cilicio, rudique amictu, nec non  
lachrymis assiduis in monte castigat, ut non  
mundi stemma, sed Christi miles videatur  
strenuus.

Iam vero perpeditae, quam se praestitit aliis  
clementem, qui se sibi tam praebuit immitae,  
quan-



quanta in alios charitate, suam in se asperitatem temperavit. Ut tamen, huiusce charitatis amplitudinem melius percipiatis, mecum ipsam orbis vniuersi amplitudinem considerare debitis. Enimveró hæc summa fuit in Lullo; ita vt ad omnium gentium salutem natum fuisse videatur. Quippé, cui adeó cordi fuit vastissimas regiones peragraré, diversa maria traicere disjunctissimas terras perlustrare, barbaras nationes adire, rudes, & incultos populos instruere, infinita propé laborum genera, & periculorum experiri; vt hoc ei non casu evenisse, sed á natura insitum fuisse existimemus. Cum vita ad hominum salutem, non pecuniæ studio, sed paupertatis amore, non quietis cupiditate, sed laborum tollerantia; non privata vtilitate, sed communi omnium salute est traducta.

Sed quid eloquar de eiusdém in Deũ pietate? Certum est eius animũ sæpenumeró in Deũ excitari, vt é divi parentis lacertis aliquoties dulcem exceperit Iesum osculandum. In Deũ pietate affectum illum colant, Doctissimus Athanasius Kircherius Societatis Iesu, cum de ipso sic in verba prorumpit: *Hoc scio: Lulum hominem Deo deditum, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ propaganda zelo ardentissimum, vti eius monumenta posteritati demandata sunt, superque testantur.* Et P. Ioannes Paulus Fons

Kircheri<sup>9</sup>  
 in Præfat.  
 ad cômét.  
 Art. Lull.

P. Ioãnes  
 Paul<sup>9</sup> Fõs  
 in suo



mistico  
Seraphi-  
no perio-  
do 3.

eiusdem Societatis hæc pro eodem verba fa-  
cit. *Ita declaravit illum sanctus ille vir, & tam  
doctus Raymundus Lullus.*

Ioan. 14.

Verius tamen, divinum pietatis in Deum  
monumentum, quod Lullo suam Christus  
Crucem quam nulli alii pro testamento reli-  
querat. ( vt ex authenticis trāsumptis Magni-  
ficorū Iuratorum Maioricensis tabularii ritē  
constat, firmiterque testatur R. P. Gabriel Io-  
annes Bolicher Soc. Iesu in processu piæ cau-  
sæ nostri Herois ) præcipuē tradidit. Et si ex ip-  
siusmet Christi ore: *si quis diligit me, ad eū ve-  
niemus, & mansionē apud eū faciemus:* in Lul-  
lo mansisse Divinū numen, quis ambigat? Cū  
Sapientia Æterni Patris sit Filius, & suæ Sa-  
cratæ Crucis, in qua pependit, Raymundum  
hæredem constituens sui ipsius hæredē con-

August.  
tract. 119.  
in Ioan.

stituit: cumque iuxta Augustinum: *Lignum  
illud ubi erant fixa membra morientis, etiam ca-  
thedra fuerit magistri docentis:* Quis inquam,  
dubitet, Divinam Sapientiam Christum é  
Cruce pendentem in Lullum advenisse, quā-  
do homo litterarū plané rudis tot volumina  
conscripserit, vt meritó Nobilissimus ille vir

In histo-  
ria Regia  
1666.

Dominus de Alta Villa Gallus loquendo de  
nostro doctore, hæc promat: *Fuit Lullus na-  
bilis vir Maioricensis, illustris propter suam pie-  
tatem, nativitatem, aut eruditionē: ille mortuus  
est anno 1315. postquam conscripserat tria, aut  
qua-*



quatuor millia volumina super omnes scientias  
divinas, & humanas: Ars sua est mirabilis,  
methodus eius fecunda, & inventio illius in-  
credibilis est.

Quis neget, Doctrinam Lulli ( in primisq;  
huius codicis ) fluxisse de Cælo? Cum in  
illa Beatus Dr. condiderit illud Divi Petri:  
*Parati semper ad satisfactionē omni poscenti vos*  
*rationem de ea, quæ in vobis est spe, & fide: hoc*  
*est ( vt apprimé vertit Menochius ) Parati*  
*infidelibus rationem reddere, fidei vestræ: & dif-*  
*fusius Lyranus: Per fidei defensionem rationa-*  
*bilem ostendendo quod continet omnē sanctitatē:*  
fidei tūm merito incrementum dederit, si ad  
Angelicum Doctorem luminis veritas orbes  
dulces sic fundentem ab ore sonos: *Cum enim*  
( ait ) *homo habet voluntatem promptam ad cre-*  
*dendum, diligit veritatem creditam, & super*  
*ea cogitat, & amplectitur si quas rationes ad hoc*  
*invenire potest. Et quantum ad hoc ratio huma-*  
*na non excludit meritum fidei, sed est signū ma-*  
*joris meriti; ipsamq; fidem fideiū in cordibus*  
*radicitus stabilierit; fatur enim Clemens Rō.*  
*Quantó quis propensior est in expetenda ratione,*  
*tantó firmior est in conservanda fide; & ratione*  
*quasi vinculo colligatur, vt divelli, aut separari*  
*facile non possit.*

Quis hæsitet, nostri Martyris Doctrinā  
cælitus inditā extitisse! Cum de illa omninó

Epist. 2.  
cap. 3.  
vers. 15.

D. Tho.  
2. 2. q. 2.  
art. 10.  
parraf.  
respōdeo.

S. Clem.  
Rom. in  
1. recogni-  
tionum  
citus à  
Lorino  
uper 1.  
D. Perri  
cap. 35

A

fas



fas, sit, decantari Salomonicum illud carmen:  
 Cantt. 4. *Sicut Turris David collum tuum, quæ edificata  
 est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea,  
 omnis armatura fortium: quibus verbis com-*  
 Gisserius *muniori sensu, sub Ecclesiastici colli meta-*  
 ibi. *phora commendantur sancti ejusdem Eccle-*  
 Casiodor. *sie Præsules, atq, Doctores. Sed tamē Casio-*  
 ibi. *dori commentū, quasi pro nostro Lullo dictū,  
 auscultate: Turri David hos, inquit, oparari  
 quia quasi semper in bello sunt pro defensione S.  
 Ecclesie pugnantes. Per turrim David, idest  
 Christi, manu fortis, vel visu desiderabilis, (hæc  
 enim duo significat nomen David: ) illos sig-  
 nificatos esse, qui vel scientia, vel operationis  
 perfectione ceteris præeminent. Per propugnacu-  
 la, divinarum scripturarum sacramenta, de qui-  
 bus veluti jacula procedunt, quibus adversarie  
 repelluntur potestates. Per mille clypeos, innume-  
 ra intelligi divinæ defensionis præsidia, quibus  
 sancta vallatur, ac defenditur Ecclesia. Per om-  
 nem armaturam fortium, omnem instructionē,  
 vel sanctæ operationis, vel divinæ prædicationis.  
 Quid congruentius Lullo?*

Quis, tandem, in dubium veniat, Illumi-  
 nati Doctoris scientiam é superno prodiisse  
 sinu? Cum de idipso fari liceat, quod de A-  
 postolo Nazianzenus, & Ambrosius suaviter  
 Ambrosi. *buccinarunt: Clavem, affatur hic, quodammo-*  
 serm. 66. *dó scientiæ, & Paulus accepit. Et ille: non otiosè*  
 Nazian. *orât. 2,*

*Divi-*



*Divinus ille oculus Crucis, figuram contempla-  
tus est. Si ergo Paulus attento Crucis patibu-  
lum intuens animo clavem scientiæ adeptus  
est: Dilectusque ille alter Domini Iesv de Sa-  
cro Dominici pectoris fonte Evangelij fluen-  
ta sopitus potavit; eique Cælestia revelata  
sunt secreta: Beatum Raymundum Cruci  
addictum, & in ea quiescentem, ac tanta  
veluti soporatum bonitate (palsim, *O Bonitas,*  
eructando) quid aliud ex tali Magistri do-  
centis rivulo, quàm divinam suxisse doctri-  
nam fateamur?*

Regnet igitur, iterùm, iterumque peren-  
net; in lucem prodeat inæstimabilis codex  
iste: ac hujusce operis Perillustri Illustratori  
omnimodam deferant sæcula laudem: quidni  
de illo, quod Marcus Tullius pro Archia, iac-  
tem: *Nisi Ilias extitisset, idem tumulus, qui A-  
chillis corpus contexerat, nomen quoque obruisset.*  
Hic meus de isto libro consensus sub die 6.  
Mensis Octobris, elabentis Dñi anni 1688.

Cicero  
pro Ar-  
chia.

*Dr. Dn. Franciscus de Togores.*

Attenta approbatione Nob. Doctoris D.  
Francisci de Togoras Almæ Sedis Ma-  
ioricarũ Canonici Perillus. Imprimatur.

*D. Melchior Sisternes Regens.*



# EPISTOLA

AD

## SANCTISSIMUM PATREM

INNOCENTIVM XI.




*P*ergeminae Pallas verax accepta coronæ  
Extet Tritonis, provida gnata Iovis.  
Orbibus, hac praxi, ternis tria mira minis-  
Artis apex magnæ 4. figura cita. (trat  
Ima superficies tangit terrena rotarum,  
Alti volans triplex Insula datque tria.  
Ut volucrum Princeps fetus in lumina Phæbi,  
In rutilas luces, alti sonasque vehit.  
Dat Radium mundo summi Iovis armiger ales:  
Ecclesie gladium Palladis arma gerens.  
Amplificatq; fidem Phæbeâ Lampade clarâ,  
Argutis oculis emicat alta fides.  
Ad sublime levis mentes attollit ab imis  
Gnara volubilitas, numine nata, rotæ.  
Suscipiat Lulli curas Innocentius almus  
Undecimus; Lulli sit benè gratus amor.

[AP]

# APOSTROPHÉ RAYMUNDI,

AD SUMMVM PONTIFICEM  
BONIFACIVM VIII.

EPISTOLA.

 *Uscipiat sublimis apex reverenda corona  
Eccesiæ: quod S Fides Romana ministrat  
Vndiq; per latium mundi per clymata cuncta  
Gentibus, & populis: tu qui Bonifacius esse  
Diceris Octavus, qui Petri sede refulges.  
Ut pean Cæli solio super omnia cuius  
Lumen ades: digneris opus breve sumere missum.  
Articulos fidei produicens ordine pleno.  
Illos atque probans rationum motibus omnes.  
Aliis concludens præmissis inde duabus.  
Si quid in his positum non esset: vt esse liceret:  
Illud corripiat vestræ solertia lime.  
Omnia non omnes possunt ubicunque videre.  
Ac Magestati vestræ Raymundus in illis  
Evigilans studuit: supplex & talia vobis  
Scripsit. Vt in robur fidei pertranseat istud.*







INCIPIIT  
TEXTVS APOS-  
TROPHEB BEATI  
MARTYRIS RAYMVNDI  
LVLLI BALEARIS

INTRODUCTIO.



LIQVI Christiani, & magni in scientia nominati, quod pudendū, & plorandum est: dicunt quod Fides Sancta Catholica, est magis improbabilis quam probabilis: inde sequitur infamia magna apud infideles, qui ex hoc credunt fidem nostram esse nullam, & fortē aliqui Christiani contra dictam fidem sinistrē suspicantur. Vtterius aliqui dicunt, & asserunt, quod fides est vera: sed secundum modum intelligendi videtur non esse vera. Vnde adiuvante Sancto Spiritu conabimur quantum poterimus probare quod dicta fides sit vera, & probabilis. Dicunt etiam quod fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, & ideo dicunt, quod non est bonum probare fidem, vt non amittatur meritum. Asserentes autem ista, & dogmatizantes quamquam magnos se reputent: & quod



peius est ab aliis reputent; ostendunt se manifestissime ignorantes. Quia aut intendunt dicere quod ipsa fides in se sit magis improbabilis quam probabilis, & etiam quantum ad Deum: videlicet quod magis sit improbabile ipsam esse á Deo, quam non esse á Deo, & in hoc casu nullus debet tali fidei quæ in se, & quantum ad hoc quod sit á Deo est magis improbabilis quam probabilis adhærere, nec, non adhærendo potest á iusto Iudice condemnari; imó adhærendo stultus est: eo quod facit contra rationem improbabilitati adhærendo, & probabilitatem deserendo. Aut intendunt dicere quod ipsa fides in se, est magis improbabilis quã probabilis; sed probabile quod sit á Deo: & in hoc casu si probabile est, quod sit á Deo: sequitur, quod ipsa est probabilis: & si est verum quod sit á Deo: ipsa est vera, & necessaria. Cum enim Deus sit summa veritas, & summa sapientia quæ non fallit nec fallitur ipse, dicit illã esse, ergo est verissimum. Si enim cuilibet experto in sua scientia credendum est, ergo multo plus expertissimo, & sapientissimo in omnibus. Nec tertium possunt dicere, vt potè quod ipsa est probabilis; sed quod sit á Deo, hoc est magis improbabile, quam probabile; cum enim fides Catholica iubeat Deum diligi super omnia, & perfectiones divinas ponat in superlativo gradu perfectionis, & extirpet vitia, inserendo virtutes in altiori gradu perfectionis qui dari possit: & per consequens sit bona, & optima, & omne bonum sit á Deo tamquam



quam á summo bono, sequitur necessario quod ipsa sit á Deo: ergo est necessaria. Si autem detur quantũ membrum, scilicet quod vtroque modo sit magis probabilis: tunc magis apertus est error eorum: & tum zelus noster nostraque totalis intentio sit omnino circa defensionem fidei: idcirco.

Nos Magister Raymundus Lullus hanc schedulam legamus religiosis, & sæcularibus sapientibus, & discretis; vt videant, ac diligentissimé perscrutentur prædicta, ac etiam si infra scripta consequentia de necessitate contineat veritatem: videlicet quod aliqui magistri in Theologia asserunt, seu testantur: quod quæcumque obiectio proposita contra fidem Catholicam Sacrosanctam, potest solvi per necessarias rationes, scilicet intelligendo ipsarum rationum consequentias. Manifesté sequitur ergo quod Sancta Fides Catholica possit iuxta eorum testimonium per rationes necessarias approbari: & hoc per modum intelligendi, non tantummodo per modum credendi. Si quis autem dixerit huiusmodi consequentiam quam facimus non attingere veritatem, cogitur dicere quod prædicta Magistrorum ratio sit inanis, & quod principium sit primum per se consequens, & posterius per se antecedens: & quod in argumento minor propositio sit antecedens, & maior consequens: quod est impossibile, & extra naturam intellectus. Rogat etiam Raymundus Religiosos, & sæculares sapientes, vt videant, si rationes quas ipse facit cõtra Sarracenos approbãdo



fidem Catholicã habeant veritatẽ, quia si fortẽ aliquis solveret rationes quæ per Sarracenos contra Fidẽ Catholicã opponuntur; cum tamen ipsæ rationes quæ fiunt pro eadẽ, solvere non valerẽt, fortificari Sarraceni valde litterati, & sapientes, se facerẽt Christianos. Siquis autẽ dixerit, quod obiectiones, quæ possunt fieri cõtra fidẽ possunt solvi per rationes necessarias; & probationes quæ possunt fieri pro fide possunt frangi per rationes necessarias: dicimus quod implicat contradictionem quæ stare non potest: quia duæ conclusiones circa idẽ cõtrariæ stare nõ possunt. Et de hoc subiungimus hoc exemplũ: vbicunq; est generatio, est & corruptio, sed in Deo est generatio, ergo in Deo est corruptio. Qui autẽ intendit improbare per necessarias rationes quod corruptio nõ est in Deo: & ipsũ oportet tenere, quod generatio est in Deo, oportet etiam de necessitate quod sciant generationem esse in Deo. Hoc idem dici potest de istis maximis: vbicumque est principium est tempus, vbicumque est productio est successio; omne agens agit cum motu: de nihilo nihil fit: nullum infinitum potest esse finitum, qui non intelligit particularia, non potest intelligere se ipsum: nulla virgo potest parere, nullum agens agit sine instrumento, nullum novum est perpetuale, vbicumque est prioritas est posterioritas, nullum ens existens actus purus est multiplicabile, nullum ens potest perficere perfectum, nullum intelligibile est intellectum, vbicumque sunt plura ibi est compositio, nullus homo mortuus potest  
idem



idem numero idem actu resurgere, nullum corpus potest esse in pluribus locis in eodem tempore, nullum accidēs potest esse sine subiecto: nulla operatio potest esse infinita, in nulla Æternitate est Æternabile. Multas alias maximas possumus invenire, sed istas ponimus, quia qui ipsas potest solvere per rationes necessarias, oportet quod sciat principia primitiva, cum quibus solvat prædictas maximas, ut supra significatum. Sed prædicta asserentes, ostendunt se ignorare Deum esse, & quū est Deus, Deum vnū esse est necessarium, & demonstrabile magis necessaria demonstratione quā fit aliqua demonstratio Mathematica. Licet enim non dicant demonstrationem potissimā esse, nisi illā in qua probatur passio de proprio subiecto, tamen certum est, quod etiam in tali demonstratione præmissæ sunt magis necessariae, veræ, & notæ quam conclusio. Alias ex eis non probaretur, notificaretur, aut necessitaretur conclusio: ergo ratio quæ per propositiones necessarias, & substantiales concludet vnā conclusionem substantialem in qua prædicetur aliquid substantiale de subiecto, ut substantia de homine, quæ quidem conclusio habeat ita necessario aliquem modum dicendi per se, sicut vna præmissarum demonstrationis concludentis passionem de proprio subiecto erit magis necessaria, quam illa quæ concludet passionem de subiecto, ut ista: omne illud quod per se stat, & substat accidentibus est substantia; homo stat per se, & substat accidentibus, ergo homo est substantia. Ista



ratio, vel sylogismus est magis necessarius, quam illé in quo concluditur omnis homo est risibilis: & ista, omnis figura trilatera est figura, Triangulus est figura trilatera, ergo triangulus est figura: ista est magis necessaria ratio, quã illa in qua concluditur, quod triangulus habet tres, &c. cuius ratio est, quia substantia: lia quæ constituunt subiectum, sunt magis de necessitate subiecti quam accidentia. Sicut quartus modus dicendi per se, & primus sunt magis uecessarii, & evidentes quam secundus. Vtterius admirandum est, cū dicant quod demonstratio propter quid, est quando concluditur passio de subiecto: quare hoc dicentes nō consideraverunt, quod cum cuilibet subiecto conveniat propria actio, & sicut propria passio, & propria actio habeat ita necessarias causas, & evidentes sicut propria passio, & multo plus; siquis bené consuleret, quod actio est nobilior passione: & quare non dixerūt demonstrationem potissimã quando probatur propria actio de proprio subiecto. Hoc dictū est contra illos qui tantum arctant, & malé vocabulum demonstrationis resumētes, ergo vnde fuit sermo prius, dicimus, quod prædicta dogmatizantes ostendunt se ignorare Deum esse, & quid est Deus. Nam manifestato, & probato quod Deus sit, & quid sit, hoc est quæ sunt eius perfectiones, & dignitates; sequitur articulos fidei Christianæ non solum esse plus: probabiles quam improbabiles: imó eos esse veros, & necessarios: quod in pluribus nostris libris probamus.

*DEVS*



DEVS IN VIRTUTE TVA SPERANTES,  
 & de tua gratia cōfidentes; incipimus probare Art.

*Fidei Catholicæ per necessarias rationes.*

**A**D probationem articulorum fidei accedentes,  
 antequam probemus Deum esse vnum tantum;  
 intendimus probare Deum esse: ad probandum autem  
 Deum esse, oportet præcognocere, quid est quod di-  
 citur per hoc nomen Deus, & dicimus quod tã sciētes  
 quã minus scientes, quasi pro regula, & vt naturaliter  
 notum tenent: quod hoc nomen Deus significat ens,  
 quod est summé, & infinité bonum, & bonitas; mag-  
 num, & magnitudo; æternum, & æternitas; potens,  
 & potestas, sapiens, & sapientia; volens, & voluntas;  
 virtuosum, & virtus; verum, & veritas; gloriosum,  
 & gloria: habens in se omnem perfectionem infinitã,  
 & in summo absq; aliqua imperfectione: in hoc enim  
 omnes intelligentes conveniunt, sicut in principio  
 communi, & per se noto, quod Deo attribuunt quid-  
 quid altius, nobilius, & perfectius potest cogitari.  
 Si tamen negaretur nobis, quod hoc nomen Deus nõ  
 significat hoc quod diximus, nobis sufficit probare,  
 quod sit dare tale ens, quale descripsimus; & de no-  
 mine contendere non intendimus. Et quod sit dare  
 tale ens per quinque rationes probare intendimus,  
 omittentes multas alias gratia brevitatis huius operis:  
 & primo probabimus quod sit dare tale ens summum  
 in bonitate, & summé bonum.

b 3

Quod



*Quod ens summè bonum sit.*

*Ratio.* **S**I summum bonum est, summum malum non est: & si summum malum est, summum bonum non est: quia duo; & maximè quæ sunt contraria non possunt esse summa simpliciter: eo enim quod ponitur esse duo summa, sequitur quod neutrum duorum est summum simpliciter: si autem ponatur summum bonum non esse, sequitur quod sua privatio est summè mala, quia sicut positio summi boni est summè bona: ita privatio summi boni, est summè mala; his præmissis.

Ostensive sylogizamus sic: omne illud, cuius præsentia est summum bonum, & sua absentia est summè mala, omnè tale esse est necessarium: cum bonum & esse convenient; & malum, & non esse; aliter non esse, & privatio essent actualiora, meliora, & perfectiora esse, & actu, quod est contradictio: & per consequens summum bonum erit summum esse, & summum malum erit summum non esse: alias quodcumque bonum non summum esset melius summo, vel saltè æquale: sed præsentia summi boni est summum bonum; cū ponat summum bonum, & privet summum malum: sua etiam absentia est summè mala; cum dicat privationem summi boni, & affirmet summum malum, ut probatum est: ergo sequitur summum bonum esse necessarium: imò si ratio subtiliter consideretur sequitur, quod solum summum bonum esse,  
est



est necessarium; cum solum summum bonum, & summum esse convenient: & solum summum esse sit simpliciter, & vnicé necessarium; alias non esset summum, nec aliquod esse est summum nisi sit necessariū: tale autem summum bonum dicimus Deum: ergo Deum esse est necessarium.

*Quod sit dare ens infinité magnum.*

*Ratio.* **O**mnis res quanto magis accedit ad esse; & quanto magis participat entitatis; tanto maior, & melior est: sed si nullū ens est infinité magnū, & ōne ens est finité magnū; ens finité magnū nobilius est, quia est, quā ens infinité magnū, qđ nō est. Et si sic; sequitur, qđ quāto res erit magis finita; tāto magis accedet ad esse, & maior, & melior erit: cū ergo pars sit magis finita suo toto, erit maior, & melior suo toto: ergo pars nō erit pars, imó totū; nec totū, imó pars: sed hoc est falsum, & impossibile; quia contradictio: ergo id ex quo sequitur, est falsum, & impossibile: sequitur autem ex hoc, quod ponitur ens infinité magnum non esse: ergo ens infinité magnum non esse, est impossibile: ergo ens infinité magnum esse est necessarium.

Ostensivé sylogizamus sic: omne ens quanto maius est, tanto de necessitate plus participat entitatis, sed ens infinité magnum maius est de necessitate ente finité magno: ergo de necessitate plus participat entitatis, cum ergo ens finité magnum sit: ens



infinite magnum esse est necessarium; tale autem ens dicimus Deum, qui est infinitus: ergo Deum esse est necessarium.

*Quod ens æternum sit.*

*Ratio.* **O**Mne ens est æternum, vel non æternum: sed ens quod non est æternum, est principiatum: ens autem principiatum, non potuit principiare seipsum; quia esset antequam esset: ergo cum experiamur, multa entia esse principiatam, oportet ens æternum esse, á quo sint principiatam: alias si non esset æternum, nec etiam principiatum; & sic nihil esset: sed nihil esse, est impossibile: ergo id ex quo sequitur: sequitur autem ex hoc, quod ponitur ens æternum non esse: ergo ens æternum non esse est impossibile: ergo ens æternum esse est necessarium.

Ostensivè sylogizamus sic: omnis existentia entis principiatam præsupponit de necessitate ens æternum esse, vt probatum est; sed ens principiatum est: ergo de necessitate ens æternum est: tale autem ens dicimus esse Deum: ergo Deum esse, est necessarium. Si vero dicatur quod id ens æternum potest esse mundus, vel aliquid aliud á Deo: hoc est falsum: nam sicut bonitas divina non patitur esse aliquod bonum aliud á se, æquale sibi in bonitate; eo quia summa est: similiter nec æternitas divina: eo quia est summa in duratione: quia summitas ex sui natura non compatitur pluralitatem: quia ratione summitatis dicit singularitatem, & contradicit pluralitati. Et etiam istam obiec-



obiectionem dissolvemus infra ubi probabimus: quod nihil potest esse æternum, nisi solus Deus.

*Quod ens infinitum in Potestate sit.*

**Ratio.** **S**I nō est dare ens infinitū, & summum in potestate; omne ens est finitum in Potestate: & si sic, nihil est æternum; quia quod est æternum, est infinitum in duratione: quod autem infinitum est in duratione, habuit, habet, & habebit potestatem ad durandum in infinitum: talis autem potestas potuit in infinita præterita: quia in quantum potestas fuit infinita, & potuit infinitum: ergo vel est dare ens potestate infinitum; vel oportet dare, quod non sit ens æternum: sed si non est ens æternum, non est ens non æternum, vt supra probatum est: quia nulla res potest principiari se ipsam, & sic nihil est: sed nihil esse est falsum, & impossibile: ergo id ex quo sequitur: sequitur autem ex hoc, quod ponitur ens infinitum in potestate non esse: ergo ens infinitum in potestate nō esse est impossibile: ergo ens infinitum in potestate esse, est necessarium: tale autem ens dicimus Deum: ergo Deum esse, est necessarium.

*Quod ens summum in Virtute sit.*

**Ratio.** **O**Mne ens quanto magis habet virtutis; tanto magis appropinquat se ad immensitatē, & summitatem virtutis; sed quanto magis appropinquat se ad immensitatem, & summitatem virtutis,



tanto magis appropinquat se ad nihil; si non est dare ens immensum, & summum in Virtute; quia appropinquat se ad id quod nihil est; quanto autem magis appropinquat se ad nihil, tãto minus est; ergo á primo ad vltimum quanto ens magis habet virtutis, tantò minus habet virtutis: quia quod modicum est habet essentiam, & modicam virtutem: sed hoc est falsum, & impossibile, quia contradictio: ergo id ex quod sequitur: sequitur autem ex hoc quod ponitur ens summum in virtute non esse: ergo ens summum in virtute non esse, est impossibile: ergo ens summum in virtute esse est necessarium: tale autem ens dicimus Deum: ergo Deum esse est necessarium.

Ex præmissis colligitur; quod ens, quod est summum in bonitate, infinitum in magnitudine, æternũ in duratione, immensum in potestate, & virtuté, est summé sapiens, & summa veritas; aliter non esset summé bonum; caret etiam principio, & fine: alias non esset essentialiter æternum. Est summé simplex: quia si esset in eo compositio, esset naturaliter divisibile; & per consequens mutabile; & posset non esse; & sic nõ esset æternum, nec simpliciter primum: est etiam infinitum in virtute; in omni perfectione perfectum; & primum omnium; aliter non esset summé potens, & omnipotens. Est finis omnium; aliter si omnia non ordinasset ad se; non esset summé sapiens, nec summé bonum; est etiam purus actus, scilicet pura forma: quia si in eo esset aliquid potentialitatis, scilicet mate-  
riæ



riæ: esset in eo compositio, & naturæ diversitas: patet etiam, quod omnes istæ rationes scilicet bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria, & similia sunt in eo realiter; aliter non esset verum, perfectum, bonum, magnum, &c. & quod istæ rationes in eo sunt vnum, & idem, vna essentia, & natura: si enim differrent; scilicet realiter, non esset tale ens totum bonum, totum magnum, & sic de aliis rationibus; sua etiã potentia est sua essentia; aliter esset in eo differentia: est etiã ab ipso omne esse, & omne posse; alias non esset summa essentia, summa potentia. Et si ab ipso est omne esse, & omne posse, quidquid habet, quidquid potest; & habet, & potest á se ipso: probavimus ergo de necessitate esse tale ens, quale descripsimus; & per consequens Deum esse de necessitate.

*Quod sit vnus Deus tantum, quod est Primus Art.*

**P**Robato, quod sit de necessitate, tale ens, quale descripsimus, quod quidem ens dicimus Deum esse; probamus, quod non sit nisi vnus Deus.

*Ratio.* Illud ens est summé bonū, quod est supra òne bonū; sed superius probavimus qđ de necessitate, est dare ens summé bonum: ergo ipsum est supra omne bonum: non esset autem supra omne bonum, si essent duo, vel plura summa bona; quia summū sūmo non est maius: ergo est tantū vnū summū bonū: ergo est tantū vnus Deus.



*Ratio.* Præterea si sunt plures dii, sunt plura entia infinita: cum probatum sit, quod Deus est ens infinitum: sed plura entia infinita esse, est impossibile; quia si essent plura infinita, vnum esset extra aliud; & cum infinitum dicatur quod nulla mensura mensurari potest, mensura vnius non comprehenderetur á mensura alterius, & sic vna mensura, aliam supergrederetur, & ita neutrum esset infinitum; cum extra infinitum nihil sit: ergo est impossibile plures Deos esse, est ergo vnus Deus tantum.

*Ratio.* Item in Deo sunt idē realiter sua bonitas, sua magnitudo, æternitas, potestas, &c. & inter istas est sūma concordantia, sūma vnitas, summa idētitas, vt probatum est; sed bonitas diuina ratione suæ nobilitatis, & summitatis non compatitur esse aliquod bonum aliud á se, æquale sibi in bonitate: ergo nec æternitas diuina compatitur aliquod ens aliud á se esse sibi æquale in æternitate, sive in duratione: eo quia est summa in duratione: sed si sunt plures dii, sunt plura entia æterna; ergo impossibile est plures Deos esse.

*Ratio.* Vltcrius si sunt plures dii, sunt plures, omnipotētes; sed plures omnipotētes esse, est impossibile: ergo plures Deos esse, est impossibile: ergo tantum vnum Deum esse est necessarium: quod autem sit impossibile plures omnipotentes esse, patet: nam aut potentia vnius est potētia alterius; & sic nō sunt essentialiter plures omnipotentes, sed vnus tantum: aut potentia vnius non est potentia alterius; sed sunt  
poten-



potentia diversæ, & sic nullus est omnipotens ex quo quod potest vnus; non potest alius. Et similiter quia neuter illorum potest non dominari ab alio; cum cuilibet competat dominari quidquid est: ideo neuter illorum erit dominus, nec omnipotens.

*Ratio.* Item impossibile est esse plura entia omni perfectione perfecta; sed si sunt plures dñi sunt plura entia omni perfectione perfecta; cum ita sit quod intelligamus Deum omni perfectione perfectum: igitur impossibile est plures Deos esse: ergo tantum vnum Deum esse est necessarium. Quod autem impossibile sit, esse plura entia omni perfectione perfecta; patet; nam si in quolibet esset omnis perfectio; quidquid perfectionis esset in vno, esset & in alio: ergo esset in omnibus vna, & eadem perfectio: non ergo sunt plura in perfectione, nec plura perfecta; sed vnum. Si autem dicatur quod perfectio quæ est in vno; non est in alio, tunc in nullo erit omnis perfectio; imò cuilibet deficiet omnis perfectio ex quo in quolibet ponitur omnis perfectio.

**QVOD IN DEO SIT PERSONARVM PLVRALITAS,**

*Et primo quod sint due persone;*

*quod est secundus Articalus.*

*Ratio.* **N**ON minoris potestatis, actualitatis, & nobilitatis est bonitas infinita; quam bonitas finita: sed bonitas finita est ratio bono finito,



quod producat naturaliter, & de se bonum finitum; ergo bonitas infinita erit ratio bono infinito, quod producat naturaliter, & ex se bonum infinitum: ergo cum in Deo sit bonitas infinita, producet bonum infinitum: nihil autem aliud á Deo potest esse infinitum; sed solus Deus, vt probatum est: ergo cum Deus sit bonum infinitum producet bonum infinitum; & per consequens idem, & æquale sibi in bonitate, essentia, & natura; cum superius sit probatum quod non possunt esse duo, vel plura infinita per essentiam differentia, vel distincta; cū ergo omnis actio sit suppositorum scil. suppositi, vt producentis; & suppositi vt producti: inter producat, & productum oportet esse distinctionem suppositorum: cum idem non possit se ipsum producere: sequitur ergo quod in Divinis erit suppositum producat, & suppositum productum, & vtrumque dicimus personam: cum persona dicatur rationalis nature individua substantia, vel suppositum rationalis nature: & verius: & proprius dicetur in Divinis Persona, quā in creaturis; eo quod in Divinis dicatur persona nature divine incommunicabilis existentia: sequitur ergo quod in divinis est personarum pluralitas.

*Ratio.* Item omne id quod est purus actus æternus, & infinitus agit æterné, & infinite, & æternū, & infinitum; aliter non esset purus actus æternus, & infinitus: sed Deus est purus actus æternus, & infinitus: ergo aget æternaliter, & infinite, & æternum, &

bonum

et

infi-



infinite: sed omne tale, scilicet æternum, & infinite  
 est Deus: ergo Deus producit Deum: sicut enim  
 proprius, & naturalius est creaturæ, cum sit finita, ope-  
 rari parva magis quam magna; eo quod magis partici-  
 pant cum creatura; quia magis accedunt ad finitatem:  
 sicut miles, qui facilius dat vnum equum, quam vnum  
 castrum, & Rex vnum castrum, quam Civitatem: sic,  
 & multo magis erit proprius, & naturalius Deo, cum  
 sit infinitus, operari ea, quæ sunt magna simpliciter,  
 quam ea quæ sunt parva; alias non operaretur secun-  
 dum modum, & virtutem suæ naturæ; nihil autem  
 est simpliciter magnum, nisi solus Deus: ergo Deus  
 producit Deum: sequitur ergo personarum pluralitas.

*Ratio.* Præterea in Deo sunt idem suum existere, &  
 3. suum agere; cū ipse sit purus actus: sed Deus est  
 Deus in existendo: ergo erit Deus in agendo: ergo  
 Deus producit Deum: aliter Deus esset Deus in ex-  
 istendo; & non esset Deus in agendo: sequitur ergo  
 personarum pluralitas.

*Ratio.* Ulterius impossibile est vnam, & eandem, &  
 4. simplicem essentiam distare á nihilo in infini-  
 tum; & non distare á nihilo in infinitum: quia im-  
 plicatur contradictio: sed Divina Essentia est ea-  
 dem cum sua potentia; quia simplex est: & cum  
 ipsa essentia sit infinita, distat á nihilo in infinitum:  
 sed si de se, & naturaliter nihil potest producere sua  
 potentia; non distat á nihilo in infinitum: imó habet  
secum annexum nihil ex quo de se nihil potest pro-  
 duce-



ducere: ergo Divina Essentia distat á nihilo in infinitū: & Divina Potentia, quæ est idem cum Divina Essentia; non distat á nihilo: sed hoc est impossibile: ergo Divina Potentia potest aliquid de se, & ex se producere: non finitum: quia divisibilis non est; cum sit simplex: ergo producit de se, & ex se infinitum: sequitur ergo personarum pluralitas.

*Ratio.* Item nobilius est id ens, quod bonum est, & bonū facit, infinitū est, & infinitū facit; æternū est, & æternum facit; perfectū est, & perfectū facit, &c. quam illud quod non facit: (*vide infra huius explanationem tex. 21.*) aliter potentia, & privatio essent nobiliora quam sit actus: sed Deus non solum est ens nobilius omni ente; sed etiam simpliciter nobilissimū: ergo ipse cum sit summé bonus, infinitus, & perfectus, vt supra probatum est, producet bonum infinitū, æternum, & perfectum: quia producendo bonum finitum, non coæquaret actum suum quantum ad terminum ad quē, scilicet ad rem productam; cū esset finitus sibi ipsi qui est infinitus: nec in tali actu suam essentiam cōmunicaret: nihil autem potest esse bonū infinitum, æternū, & perfectum, nisi solus Deus: ergo Deus producet Deum æquale sibi in omnibus: probavimus ergo in Divinis esse duas personas, vnam producentem, & aliam productam: personam producentem appellamus Patrem, & personam productam Filium appellamus.

Quare



*Quare Persona producaens dicatur Pater, & producta dicatur Filius, Quod est 3. Art.*

*Ratio.* **O**Mne illud, quod producaitur de eſſentia alicuius ſecundum naturæ operationem, & ſecundum principalem procedendi modum, & ordinem, & eſt in eadẽ eſſentia, & natura cum producaente, dicitur, & eſt Filius producaentis; & producaens dicitur Pater: cum ſint relativa ſicut videmus, & dicimus, quod homo generatus ab alio homine dicitur eius filius, à quo eſt immediatẽ genitus, quia eſt de eſſentia generãtis, & ducitur ab eo in eſſe per naturalẽ generationem, & participat cũ eo ſecundũ ſpeciẽ eandem eſſentiam & naturam; & procedit ab eo ſecundum principalem procedendi modum, & ordinem: quia procedit ab eo per generationem, & immediatẽ; & ſi homo generatus haberet à Patre animam per quam eſt homo, veriori, & perfectiori modo eſſet filius eius, & ſi eſſet à Patre ſecundum totam ſubſtantiam, & abſque adjuutorio Matris; adhuc eſſet veriori, & perfectiori modo filius eius: & ſi eandem eſſentiam haberet cum eo, & ab eo, adhuc veriori modo, & perfectiori eſſet filius eius, & per conſequẽs Pater eſſet veriori, & perfectiori modo Pater: cum ergo Deus ratione ſuæ ſummæ nobilitatis actualitatis, & fecunditatis producat de ſe toto æquale ſibi per omnia, & naturaliter: nam probatum eſt quod Deus

D

eſt



est Deus in agendo, sicut in existendo: sic etiã productio ista secundum principalem procedendi modum, & ordinem: quia sicut dualitas prior est Trinitate; sic processio vnus de vno per modum generationis prior est ordine naturæ processione, quæ non est per modum generationis, nec vnus de vno; sed vnus de duobus: verissimé ergo in divinis in productione, qua vnus producit ab vno, productus dicitur filius, & producens pater, & tanto veriori modo, quam in rebus creatis, quanto veriori modo, omnia prædicta inveniuntur in divina generatione.

*Quod in Divinis sit dare Tertiam Personam, quod est quartus Articulus.*

**P**Robato quod in Deo sit Persona Patris, & Filii; restat probare tertiam personam, scilicet Spiritum Sanctum: probatum est superius quod Pater producit Filium per modum naturæ, qui est idem patri in substantia, & æqualis per omnia: sicut ergo naturale est patri filium generare; ita naturale est ei filium generatum amare: cum ipse filius sit summé, & infinité bonus; & sicut naturale est filio generari à Patre; ita naturale est sibi patrem amare: inde arguimus sic.

*Ratio.* Omnis amor verus, actualis, & perfectus requirit de necessitate amantem, amatum, & amare; sed in Deo est amor verus, actualis, & perfectus: & est



est ibi amans pater, qui est persona; & amatus filius; qui est persona, vt probatum est: ergo & amor procedens á Patre in filium, & é conuerso erit persona: aliter amor diuinus non esset tantæ actualitatis, bonitatis, magnitudinis, &c. quantæ est amans, & amatum.

*Ratio.* Item impossibile est in Diuinis esse aliquod  
2. accidens: cū Diuina Essentia sit simplicissima, & nobilissima: sed si amor Patris, & filii non esset persona, esset ille amor accidens: ergo necesse est, illum amorem esse personam.

*Ratio.* Item tantæ actualitatis, & fecunditatis est  
3. amare in Deo, sicut generare: sed p generare exit persona de persona, sicut filius de patre: ergo de amare patris, & filii exit persona.

*Ratio.* Præterea maior vnitas quæ potest esse, salva  
4. distinctione personarum, debet esse inter patrē, ac filium; cū inter eos sit summa cōcordantia: sed vnitas essentiæ, & operationis est maior vnitate essentiæ tantum: ergo pater, & filius vnientur non solum in essentia, sed in operatione naturali infinita, & essentiali, quæ sit eis æqualis per omnia: hoc autem non esset, nisi illud productum esset persona; in cuius productione pater, & filius æqualiter concordarent quantum ad omnes rationes, & dignitates.

*Ratio.* Vtterius omnis operatio, sicut est suppositi,  
5. vel suppositorū, vt termini á quo; ita oportet quod sit suppositi, vt termini ad quem: cum ergo omnes



dignitates, quæ sunt in patre, & filio sint activæ; sicut pater est persona, & filius est persona: sic eorum operatio, sive productio intrinseca erit persona: patet ergo quod si ponatur in divinis prædicta personarum pluralitas, quam probavimus: omnes dignitates divinæ habent suos actus intrinsecos, & perfectos secundum omnes rationes; sicut bonitas bonificativum, bonificabile, & bonificare; magnitudo magnificativum, magnificabile, & magnificare: & sic de omnibus aliis dignitatibus: si autem non ponatur in divinis prædicta personarum pluralitas; nulla dignitas divina habebit actum naturalem, & intrinsecum; imò erunt ab æterno ociosæ omnes intrinsecè, & carentes naturali perfectione, & fecunditate: nec habebit Deus cui summum, & infinitum amorem impendat: nec à quo summè, & infinitè diligatur. Poterit etiam de nihilo aliquid producere, sicut creaturas; de se autem nihil poterit operari: & sic Deus non erit ens nobilissimum, actualissimum, & perfectissimum: eo quod non erit activus de se, & naturaliter; nec habebit perfectas rationes; quod est impossibile.

*Quare Persona procedens à Patre, & Filio  
dicatur Spiritus Sanctus.*

*Ratio.* **P**robavimus superius quod ex amore Patris ad Filium, & é converso procedit tertia persona, quam Spiritum Sanctum appellamus; eo quod sicut quando duo homines mutuo, & intimè se diligunt  
fic



fit spirituum eorum communicatio, & quidam intimus, & æstuans eorū amoris impulsus; propter quod & illi dicuntur habere vnum spiritum, qui idem amāt, & idem affectant; cum amicitia sit idem velle: sic quia pater amando filium intima, & summa dilectione cum sit summé bonus, & filius amando patrem intima, & summa dilectione ad invicem in isto amore communicant: persona procedens per modum mutui amoris, & intimi dicitur spiritus: quia sicut spiritus vitalis est nexus, & unio corporis, & animæ: sic, imó nobiliori modo Spiritus Sanctus est nexus Patris, & Filii, & non dicitur filius: quia alius est modus in divinis, quo vnus procedit ab vno per modum generationis; & alius quo vnus procedit ab illis duobus per modum amoris:

Dicitur etiam sanctus: quia est opus sanctificationis, & ex sanctificatione procedens: quia pater diligendo filium, summo, intimo, & æterno amore est filio innocens; & filius diligendo patrem summo, intimo, & æterno amore est patri innocens: & quia ex isto mutuo intimo amore, quo pater est innocens filio, & é conuerso procedit; dicitur sanctus: quia sicut est ex natura spitativa amborum; ita est ex natura amborum sanctificativa. Dicitur etiã sanctus quia innocens: eo quod adeo perficit, & complet Divinarū numerum personarum; quod non possunt esse plures quam tres, neq; pauciores: & sicut ex sequentibus declarare intendimus, & probare.



*Quod in Divinis sint tantum tres personæ.*

**E**X superioribus probatum est quod in divinis sint tres personæ, quarum vnam appellamus Patrem; aliam filium, qui á Patre procedit; aliam Spiritum Sanctum, qui procedit á Patre, & á Filio. Pater est persona, quæ á nullo procedit; sed ab ipso solo procedit alia; scilicet filius. Alia est persona, quæ procedit ab alia, & ab ipsa procedit alia; scilicet filius. Alia est persona quæ procedit á duabus, & ab ipsa nulla; scilicet Spiritus Sanctus. Probabimus ergo primo generaliter quod non possunt esse nisi tres personæ. Secundo probabimus in speciali attendendo ipsarum personarum nomina, & proprietates.

*Ratio.* Omnes dignitates, & rationes divinæ sunt  
 1. in Deo perfectissimé, & completissimé: cum sint idem quod Deus: sed ipsæ non possunt significari, distingui, & determinari, nisi sub numero, & in numero trinario: ergo neque personæ: (*vide infra huius explicationem tex. 22.*) aliter inter dignitates divinas, & personas erit realis diversitas: & si sic dignitates divinæ non erunt Deo ratio producendi supposita, seu personas; quod est impossibile. Quod autem rationes, & dignitates divinæ sint in numero trinario tantum patet: omne enim quod est bonum, vel est bonificans, vel bonificatum, vel bonificare: & omne quod est magnum, vel est magnificans, vel magnificatum, vel magnificare; & sic de aliis: cum ergo non possit ratio

com-



completa dignitatum inveniri in minori numero, quã in trinario: nec inveniri in maiori, erũt personæ divinæ in numero trinario.

*Ratio.* Item ille numerus, qui est omnibus aliis nobilior, & necessarior, debet poni in Deitate ex quo probatum est, quod est ibi pluralitas: sed numerus trinarius est aliis nobilior, & necessarior: cum nullus actus possit esse sine numero trinario: & hoc patet, quia in omni actu oportet dare terminum à quo, & terminum ad quem, & actum medium nexum utriusque termini: ergo in deitate erit numerus trinarius.

*Ratio.* Præterea ille numerus, cuius partes magis conformiter regulatæ, & ordinatæ se habent, ponendus est in divinis: cum sit ibi summus ordo: ( non temporis, sed processions, seu originis: ) sed numerus trinarius, ut ponitur in divinis, habet partes conformes, regulatas, & ordinatas: nam quæcunque divina persona consideretur; duæ aliæ eam æqualiter respiciunt, & æqualiter respiciuntur ab ea.: ( *vide infra huius explanationem tex. 23.* ) imò quod mirabile est, & singulare in divinis; cõsiderata quavis vna persona, tâquã pro vna parte numeri trinari, & aliis duabus eam æqualiter respicientibus, fit triangulus: ut si consideres personam patris; persona filii, & persona Spiritus Sancti eam æqualiter respiciunt, & æqualiter respiciuntur ab ea. Et si consideres personam filii, æqualiter, & immediatè respiciunt eam pater, & Spiritus Sanctus, & respiciuntur ab ea. Et si consideres personam



Spiritus Sancti; æqualiter respiciunt eã Pater, & Filius: & respiciuntur ab ea. Et ita semper fit triangulus, & quia hoc fit considerata qualibet Persona; fit ibi circulus: & ita numerus trinarius triangulatus; & triangulus circulatus, & circulus triangulatus. In nullo autẽ alio numero potest inveniri ista harmonia, & ista pulchritudo, nisi in numero trinario: & non in quocunque numero trinario: quia non in numero trinario directẽ producto: licet enim in numero trinario directẽ producto, secundum æqualiter se habeat ad primũ, & tertium, & ẽ econverso: nõ tamen primum æqualiter se habet ad tertium, & secundum: nec tertium ad primum, & secundum; sed hoc invenitur in trinario ordinato, eo modo quo numerus trinarius ponitur in divinis: ergo patet quod in divinis sunt tantum tres personæ: & etiam quod sic sunt ordinatæ, & distinctæ sicut diximus.

Secundo probamus quod in divinis non sint nisi tres personæ, attendendo Personarum Divinarũ nomina, & proprietates earum.

*Ratio.* Omnia illa, quæ sunt in divinis, sunt perfectissima, & in summo esse: sed si in divinis essent plures patres, vel plures filii, vel plures Spiritus Sancti: aut esset necessarium esse plures Patres, aut plures Filios, aut plures Spiritus Sanctos; vel non: si non est necessarium eos esse plures; non sunt; quia quidquid est in divinis est necessarium, & non contingens. Si est necessarium eos esse plures: in nullo reperitur perfect-



perfecta, completa & coequalis ratio paternitatis filiationis, & spirationis: & per consequens nullus est perfectus pater; nec perfectus filius; nec perfectus Spiritus Sanctus ex quo non sufficit vnus pater, nec vnus filius, nec vnus Spiritus Sanctus: ergo nullus perfecté bonus, nullus perfecté productus; nullus perfecté producitur, nullus perfecté dat, nec recipit; sed hoc est impossibile: ergo non est dare quartam, vel vltiorem personam, quæ sit Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus. Si autem dicatur quod sit quarta persona, vel vltra, quæ non est Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus; talis persona non erit producta á Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, in quantum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ex quo producta persona non erit Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus: cum tamen omnis actio sit suppositorum. Si autem dicatur, quod non producitur á tribus personis; sed ab vna, vel á duabus: sequitur idem inconueniens, quod prius, & vltra hoc, quod persona producta immediatius, & maiori amore, & germanitate adhærebit illis, vel illi, á qua producetur, quam á qua non producetur.

*Ratio.* Vltius omnis ratio principii activé, & passivé sumpta, si perfecté, & secundum totalē suā rationem sumatur, de necessitate requirit tres terminos, scilicet principium principians, & non principiatum; vt nihil eum præcedat; aliter esset processus in infinitum á parte ante. Et principium principiatum,

E

&amp;



& non principians: aliter esset processus in infinitum á parte post. Et principium principiatum, & principians, quod est medium inter ea, & sapit naturam vtriusque. Nec potest pluribus quam istis tribus modis dici principium, seu esse: nec sine istis tribus potest tota, & perfecta ratio principii in Deo reperiri: sed in Deo est totalis, & perfectissima ratio principii: ergo erit in divinis principium principians, & non principiatum: & istud principium dicimus Patrem: & principium non principians, & principiatum: & istud dicimus Spiritum Sanctum: & principium principiatum, & principians: & istud dicimus Filium, qui est principiatus á Patre, & principiat cū Patre Spiritū Stū. ergo sunt tantū tres personæ, & non plures. Et sic probavimus primum, secundū, tertiū, & quartū Articulū.

*De Creatione quæ est quintus Articulus.*

Quintus Articulus est, quod Deus sit creator mūdi: & hoc probamus sic.

*Ratio.* **B**onitas Divina, Magnitudo Divina, Æternitas, Potestas, & ceteræ dignitates divinæ sunt in Deo vnum, & idem: sed potestas divina non potest aliquid, quod nō sit de natura sua coæquare sibi in magnitudine, nec in bonitate, nec in potestate: ergo neque in æternitate: cum ergo mundus, nec aliquid aliud á Deo, sit de essentia Dei: non solum sequitur, quod non sit æternus; imó quod non potest esse æternus. Et hoc idem sequitur de quacumque re alia á Deo. Præte-



Præterea probatum est: quod Deus est Omnipotens; & quod non est Omnipotens, nisi vnus: & sic omnia quæ sunt, sunt ab ipso producta; aliter non esset Omnipotens. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Si Deus produxit mundum, aut produxit  
 2. eū de ente æterno, aut de ente nō æterno, aut de nihilo. Non de ente æterno: quia cum nihil sit æternum essentialiter, nisi solus Deus, vt probatum est; esset mundus de substantia Dei: imō esset Deus: cum substantia Dei, eo quod est simplicissima, non possit communicari, nisi tota. Nec de ente non æterno potuit eum producere ab æterno: quia est contradictio. Nec de nihilo potuit eum producere ab æterno: quia quod ex nihilo esse accœpit, fuit verū dicere aliquando quod non fuit: aliter ex nihilo creari non potuit: nomen enim, & ratio creationis, qua dicitur creatio de nihilo factio, manifesté declarant, quod omne creatum cœpit esse ex quo de nihilo factum est: quod autem cœpit esse, non est æternum: nullum ergo creatum potest esse æternum: æternum enim non potest esse, nisi de æterno.

*Ratio.* Item omne id, quod plus accedit ad naturā  
 3. æternitatis, plus participat naturā æternitatis, & nobilius est eo, qđ minus participat: sed si mundus est æternus, corruptio est æterna secundum speciem, & secundum numerum: quia omne quod generatur, corrumpitur: & res corrupta nunquam reddit eadem numero: imō sēper stat in privatione, & corruptione:



& ideo est æterna secundum numerum, & speciem. Quod non sic est de generatione: nam res genita aliquando corrumpitur, & nunquam reddit eadem numero, vt dictum est: & sic generatio non est æterna secundum numerum, sed tantum secundum speciem: ergo corruptio nobilior est generatione: sed hoc est impossibile: ergo, &c. Corruptio etiam non erit prior generatione, neque é conuerso: eo quod æternum non est prius æterno duratione, vel tempore: cum tamen generatio præsupponat de necessitate corruptionem prioritate temporis: eo quod fit successive, & paulatim: & generatio præsupponit id de quo fit: & corruptio id á quo fit: & sic neutrum est æternum, quod est contradictio.

*Ratio.* Vtterius nulla potestas plus potest sub ratione aliena, quam sub ratione propria: quia plus posset in alio, quam in se ipsa: sicut nec bonitas potest dici magis bona sub ratione potestatis, quam sub ratione bonitatis; sed potestas divina non potest alicui, quod non sit de essentia sua, dare potestatem, quæ sit infinita sub ratione potestatis, & in quantum potestas; quia si posset, illud, cui daret talem potestatem, quæ esset infinita in quantum potestas, posset infinitum: & in infinitum: & sic esset Deus: ergo nec potestas divina potest alicui communicare durationem infinitam.

*Ratio.* Item omne illud, per quod essentia divina transcendit in omnibus omnia alia á se, est  
 5. necess



necessarium: aliter essentia divina non esset nobilissima, actualissima, singularissima, & vnicé vnica; sed si aliquid aliud, á Deo esset, vel posset esse æternum; essentia divina non transcenderet illud in æternitate: ergo nihil aliud á Deo est æternum, nec potest esse æternum: non enim Deus esset omnipotens, nisi omnia quæ sunt principiaffet: nec esset simpliciter primus, nisi omnia alia á se præcederet, & principiaffet: quare patet, quod quicquid est aliud á Deo, est ab eo creatum; & per consequens non est æternum; cum omne creatum sit de non esse ad esse deductum. (*vide infra huius explanationem tex. 19.*)

*De Recreatione; quæ est Sextus Articulus.*

**S**extus Articulus est recreatio: ad probandum autem recreationem, oportet quatuor probare: Primum quod primi parentes peccaverunt. Secundum quod peccatum eorum est omnibus hominibus generale corporaliter. Tertium quod est generale spiritaliter, hoc est quantum ad animam. Quartum, quod est necessaria recreatio.

*Quod primi parentes peccaverunt.*

**D**eus, qui creavit mundum, vt probatum est, creavit, seu fecit hominem, qui est pars mundi, quem cum sit naturæ rationalis fecit talem, vt discerneret inter bonum, & malum; & diligeret bonum, & odiret malum: aliter frustra fecisset eum



naturæ rationalis: & vt majus bonum magis diligeret, & summum bonum summé, & liberé diligeret: tantæ enim nobilitatis est summum bonum, quod liberé vult, & debet diligi: secundum hoc ergo homo factus est á Deo bonus, & ad bonum ordinatus: factus est etiam justus: quia iustitia est, bonum diligere, & summa iustitia, summum bonum summé diligere: & cum sit factus ad diligendum summum bonum, liberé meretur, & oportet quod assequat̃ illud: alias frustra factus esset ad illud: & si illud assequitur, assequit̃, & meretur beatitudinē: (*vide infra huius explanationē tex. 5.*) aliter summum bonum non esset summum bonum, si non esset beatitudo assequentibus ipsum. Factus est etiam homo ad vivendum secundum sui institutionem, non ad moriendum: cum mors non sit beatitudo sed miseria: vt si seruaret ordinem sibi á Deo inditum; mereretur beatitudinem, vitam æternam, & gloriam: si autem non seruaret; sed mutaret illū ordinem; puniretur morte, infelicitate, & ignominia. His præmissis, arguimus sic.

*Ratio.* Omnis natura in rectitudine á Deo instituta; & ad summum bonum & beatitudinem ordinata, si secundum ordinem á Deo sibi inditum, operetur; bené, & bona, & magna opera operatur, & non parva: si autem operatur mala, & parua opera semper, aut magis quam bona, & magna; non sequitur ordinem sibi á Deo inditum; sed mutat illū; & per consequens peccat: quia non manet in obedi-

dien-



dientia Dei : & non tendit ad finem, ad quem facta erat : & si talis mutatio inveniatur in quolibet individuo illius naturæ : oportet, quod ista mutatio incœperit in illo, vel in illis, á quibus ónia illius naturæ individua processerunt; aliter non inveniretur in omnibus : sed natura humana est á Deo in rectitudine instituta ; & ad summum bonum, & beatitudinem ordinata, vt probatum est: ergo cum non operetur bona, & magna opera, vt plurimũ : nam videmus quod in hominibus est multum de malo, & parum de bono: nec in aliquo homine est tantum de bono, quantum deberet esse : sequitur ergo quod hominum conditio in contrarium est mutata: non á Deo: quia ista mutatio mala est, & contraria ordinationi divinæ. Nec ab alio, qui posset hominem mutare cõtra voluntatem suam: quia sic homo non haberet culpam, & per consequens neque pœnam : ergo ista mutatio est ab ipso homine ; in eo quod habuit naturam operandi bonum cum libertate, & servandi rectitudinem, quam non servavit: quia si sine libertate huiusmodi naturam habuisset, non haberet meritum, nec posset flecti ad contrarium: sicut ignis, qui non cum libertate: sed cum naturæ suæ necessitate calefacit, non meretur, nec potest flecti ad frige faciendum: & cum ista mutatio inveniatur in omnibus hominibus ; oportet quod incœperit in primis parentibus ; á quibus omnes homines processerunt: sequitur ergo quod primi parentes peccaverunt.



*Ratio.* Item si primi parentes non peccassent; tam  
 2. ipsi, quã õnes derivati ab eis, essent virtuosí vir-  
 tutibus politicis naturaliter; & habitus virtutum po-  
 liticarũ essent eis naturales: eo quod natura huma-  
 na á sui institutione ordinata est ad virtutes, vt su-  
 pra proximé declaratum est: & sic virtuosos homi-  
 nes generaret: videmus autem contrarium: quia om-  
 nes homines, qui volunt esse virtuosí prædictis vir-  
 tutibus; habent eas per acquisitionem, & nos per  
 naturam: (*vide infra huius explanationem tex. 13.*) cũ  
 ergo ista contrarietas, & mutatio reperitur in om-  
 nibus hominibus: oportet quod incœpetit in pri-  
 mis parentibus: aliter non esset generalis ad omnes  
 homines: ergo primi parentes peccaverunt.

*Ratio.* Præterea omne compositum constans ex  
 3. duobus principiis, quorum vnum actualius, &  
 nobilius est alio, magis inclinatur, & inclinari debet  
 ad perfectiones nobilioris, & actualioris; quam mi-  
 nus nobilis, & minus actualis: sed homo componi-  
 tur ex anima intellectiva, & corpore; & anima no-  
 bilior est corpore: ergo homo magis inclinabitur ad  
 animæ perfectiones, quam corporis: sed contrarium  
 videmus in omnibus hominibus: ergo ista contrarie-  
 tas, & deordinatio incœpit in primis parentibus, á  
 quibus omnes alii processerunt: alias non esset gene-  
 ralis: ergo primi parentes peccaverunt.

*Ratio.* Vltèrius omnes homines cum difficultate,  
 4. & labore operantur virtuosé; & cum facilitate,

&



& levitate vitia : hoc autem non potest inesse hominibus á natura instituta: quia malé, & ad malũ esset instituta, cuius contrarium supra probatum est: cum ergo hoc insit omnibus hominibus; inerit eis á natura corrupta, & cum insit omnibus hominibus; oportet quod inceperit ista corruptio in primis parentibus: aliter non esset generalis: ergo primi parentes peccaverunt.

*Ratio.* Item omnis natura suscipiens augmentum, & decrementum vehementius operatur suas operationes naturales in statu augmenti, quam in statu decrementi; & magis resistit suo contrario: secundum hoc ergo natura humana, quæ est creata ad diligendum summum bonum, & ad odiendum malũ, deberet esse prona, & inclinata magis ad bonum, & virtutes; & fortis contra malum, & vitia in statu augmenti, & iuventutis; quam in statu senectutis, & decrementi: cuius oppositum in omnibus hominibus videmus: nam magis sunt proni ad vitia in statu iuventutis, quã senectutis: & cum hoc non insit omnibus hominibus á naturæ institutione: quia in rectitudine est instituta: oportet quod insit á natura corrupta, & perversa: & cum hoc insit omnibus hominibus, oportet quod inceperit ista perversio, & corruptio in primis parentibus: aliter non esset generalis: ergo primi parentes peccaverunt.



*Quod peccatum primorum parentum sit generale omnibus hominibus corporaliter.*

**N**atura humana plus habet naturaliter á creatione perfectionis, & nobilitatis: cū sit creata ad diligendum summum bonum; quam natura brutalis, & irrationalis. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Omnis natura quantó nobilior est creata; 1. tantó naturaliter magis debet esse ab omni imperfectione, & necessitate elongata: sed natura humana nobilior est omni natura irrationali: ergo magis debet esse elongata ab omni imperfectione, & necessitate, quam natura irrationalis: videmus autem contrarium; nam puer quando natus est, si non administraretur ei, moreretur; & indiget pluribus, quam animalia irrationalia; quorum multa moventur de loco in locum immediaté cum nata sunt: & breviter pluribus periculis, necessitatibus, & imperfectionibus est expositus homo á sui nativitate, quam aliquod aliud animal: cum ergo in nobiliori subiecto ista imperfectio inveniatur; & hoc non possit inesse naturæ humanæ á sui institutione, & hoc sit in omni homine, oportet, quod hoc sit ratione peccati generalis, & infectionis, quæ á primis parentibus decisa in omnes homines est extensa.

*Ratio.* Præterea nulla pœna imponitur á justo Iudice sine culpa: sed omnes homines tam iniusti, quam justi justitia morali subjiciuntur á sui nati-



nativitate multis pœnis, tribulationibus, doloribus, & ærumnis: ergo ratione alicuius culpæ, quæ est in utrisque: sed in justis iustitia morali non est peccatū, nec culpa peccati actualis: ergo oportet tam justis, quam iniustis esse aliquod peccatū commune, ratione cuius omnes puniantur; aliter Deus esset iniustus: nullū autē peccatū potest esse cōmune omnibus hominibus iustis iustitia morali, & iniustis; nisi peccatum originale: ergo ipsum est generale corporaliter: (*vide infra huius explicationem tex. 14.*)

*Ratio.* Item Deus fecit hominem ad vivendum, 3. non ad moriendū: sed ōnes homines naturaliter moriuntur: oportet ergo quod mors advenerit per peccatum: non enim potest venisse per vitam, cum hæc sit contraria morti: nec per se ipsam: quia nihil deducit se ipsum in esse: nec ab aliquo bono: cum mors sit mala, & privatio: ergo venit per peccatū, & malum ita generale, sicut mortalitas est generalis: sed mors est omnibus generalis corporaliter: ergo & peccatum est omnibus generale corporaliter.

*Ratio.* Item omnis natura, quæ magis, & melius 4. est ordinata ad vitam, paucioribus indiget in vivendo; quam illa, quæ minus, & non ita benè est ordinata ad vitam: sed natura humana magis, & melius est ordinata ad vitam, quam aliqua alia natura corporalis animata, vt probatum est: ergo paucioribus indiget in vivēdo, quam aliquod aliud animal: sed nos videmus contrarium; nam aves a nativitate



habent plumas pro tunica; & sua cibaria sunt semina, & muliones: & similia animalia habent lanam pro tunica, & herbam pro cibo, & stramen pro lecto: homo autem indiget tunica, camera, olla, bove, aratro, furno, medico, & multis, quæ longum esset narrare: ergo cum necessitas multorum importet defectum: defectus autem non proveniat nisi ex culpa, & peccato, & ista necessitas insit, & sit cōmunis omnibus hominibus: oportet vt peccatum, & culpa istius necessitatis sit generalis ōnibus hominibus corporaliter.

*Ratio.* Vltorius ōnis actus creaturæ rationalis, quia est  
 5. cum libertate, est virtuosus, vel vitiosus: sed per actum virtuosum non potuit deviari natura humana á fine indito sibi á Deo: quia tunc esset virtus causa deviationis, & mali, quod est impossibile: cum ergo constet, quod tota natura humana sit deviata á fine, sibi á Deo indito: oportet quod talis deviatio sit facta per actum vitiosum, ita generalem, sicut ipsa deviatio: sed deviatio hominum est corporaliter generalis; cū ōnia corpora hominū corrumpantur, & moriantur: ergo & vitium, & peccatum erit omnibus hominibus corporaliter generale: istud autem peccatum dicimus originale; eo quod in singulos descendat ab illis, á quibus habent originem omnes homines; & quia cum origine vnus cuiusq; personæ trahitur: & quia sicut omnes homines á primis parentibus traxerunt sibi originem: sic omnia peccata á primo parentum peccato sunt originata:  
 natu-



natura enim humana, quæ tota erat in primis parentibus, per peccatum primorum parentum fuit tota infecta, & corrupta, & effecta peccatrix; & ideo nō potuit propagare nisi peccatores infectos, & corruptos: ratione cuius infectionis, & corruptionis natura humana ad peccata alia inclinatur.

*Quod peccatum primorum parentum sit generale omnibus hominibus quantum ad animã.*

**S**I anima, per quam homo habet formam humanam, & est homo, esset á generante; ex præmissis esset manifestum, quod peccatum primorum parentum esset generale omnibus hominibus quantum ad animam: sed quia non est á generante, sed á creatore, inducimus ad hoc speciales rationes.

*Ratio.* Quandounque aliqua principia ordinantur ad constitutionem substantialē alicuius esse specifici, & non sunt propter aliud facta, nisi ut cōstituant illud esse specificum; necesse est illa principia sequi motum, modum, actum, conditionem, & ordinem illius esse specifici, quod constituunt; aliter non inclinarentur ad illud constituendum substantialiter: nec essent ipsa principia adinvicem naturaliter, & substantialiter vnita: sed anima & corpus sūt ordinata ad constitutionem substantialem esse specifici hominis; nec sunt propter aliquid aliud, nisi ut sit homo: ergo anima & corpus de necessitate sequuntur motum, modum, actum, conditionem, &



ordinē esse specifici hominis : sed species , & naturā humana, quæ tota erat in primis parentibus, & extra eos nihil , fuit tota infecta peccato quantum ad corpus , & quantum ad animam : & plus anima, quā corpus : peccatum enim incepit in anima , quia in voluntate : eo quod primi parentes noluerunt servare rectitudinem, & justitiam , in qua creati erant : cū tamen possent servare, si voluissent : ergo omnes homines, cum sint propagati á primis parentibus, erūt infecti peccato, non solum quantum ad corpus ; sed etiam quantum ad animam : eo quod anima non est ob aliud, nisi vt sit homo : cum ergo tota species humana sit corrupta, & infecta peccato , & inimica Dei : immediatē cum anima adveniens corpori constituit hominem , quam citō verum est dicere, quod est homo : tam citō, in quantum est homo est inimicus Dei : & sic est peccator quantum ad corpus, & animam. Vnde qui vult intelligere, quomodo peccatum est in anima : consideret quomodo tota species humana est infecta, & corrupta peccato : & quod anima non est, nisi vt sit homo : & consideret, quod Deus non debet mutare ordinem, & justitiam in toto ratione partis : cum totum non sit propter partem : sed pars propter totum : & sicut in primis parentibus tota species humana fuerat exaltata super omnes species corporales per gratiam : in tantū, quod si servassent rectitudinem, acquisivissent pro se, & sua posteritate beatitudinem : propagassent enim

filios



filios justos, quales ipsi erant, qui habuissent per naturam, quod primi parentes habuerunt per gratiam: sic ratione peccati, & culpæ primorum parentum tota species humana, quantum ad primos parentes, & eorum posteritatem est subiugata infectioni, & pœnæ: & habet primorum parentum posteritas per naturam, quod primi parentes habuerunt per culpā: aliter Deus plus dedisset homini sine aliquo merito per gratiam; quam puniret propter culpam: & sic sua iustitia esset defectiva, quod est impossibile: oportet ergo quod iustitia Dei tantum puniat in homine, propter culpam; quantum dedit per gratiam: (*vide infra huius explanationem tex. 15.*) hæc enim est pœna criminis læsæ maiestatis: hoc etiam habet conditio seruitutis, quod omnes, qui de seruis nascuntur, sint serui à natiuitate.

*Ratio.* Item omnis anima rationalis, quæ mouet  
 2. corpus suum ad vtendum hiis, quorum vsu corpus non est dignum, peccat, & per consequens est subiecta peccato: sed anima immediate cum est infusa corpori, mouet corpus: aliter non esset forma corporis; nec per consequens pars substantialis hominis: nec homo esset homo per animam rationalē: ad corporis necessitates, vt ad augmentum, vel ad sumendum victū, vt cibum, vel potum, & ad vtendum rebus quibus vivit, quæ sunt creaturæ Dei; quorū vsu non est dignum corpus alicuius hominis; cū sit corruptum, & infectum: eo quod primi parentes, à



quibus omnes homines habuerunt corpora sua fuerunt contra Deum creatorem suum : ergo anima ex hoc habet culpam generalem : & sic sequitur quod peccatum est generale omnibus hominibus quantum ad animam : ( *vide infra huius explanationem tex. 15.* )

*Ratio.* Præterea impossibile est vnum hominem  
 3. simul habere duos habitus contrarios: sed si anima hominis non inficitur á corpore, nec inclinatur ad operationes corporis; homo, qui substantialiter constat ex anima, & corpore habet habitum operandi bonum, & virtutes ratione animæ, quæ munda, & immaculata á Deo infusa est corpori; & habet habitum operandi malum, & vitia ratione corporis, quod est infectum : homo ergo in eodẽ tempore, & sæper habebit inclinationem ad bonum, & ad malum: aliter non operaretur in virtute, & natura principiorum ipsum constituentium; & ita homo poterit esse simul temperatus: & ebrius: imò quod plus est, si anima non inclinatur ad aliquem actum corporalem, nullus actus hominis erit vitiosus: eo quod nullus actus factus sine voluntate est vitiosus: videmus autem in hominibus multos actus vitiosos: ergo oportet quod anima inclinetur ad illos; ( *vide infra huius explanationem tex. 17.* ) cum etiam omnes actus sint suppositi, oportet dare quod ad omnes actus suppositi inclinentur principia ipsum substantialiter constituentia: & ita ad omnem actum hominis inclinabitur anima



anima. Si autē dicatur, quod anima hominis iusti nō  
inclinat ad aliquē actū corporis: eo, quod nōis actus cor-  
poris, quia corpus est infectū, est malus: sequitur quod ani-  
ma non est forma corporis; & quod nōis actus cor-  
poralis hominis iusti est actus hominis, sed tantum  
corporis: propter quæ omnia, cum sint impossibilia,  
oportet dare quod anima inclinatur ad actus corpo-  
ris: & per consequens inficiatur a corpore: ex qui-  
bus sequitur, quod peccatum originale est generale  
quantum ad animam.

*Ratio.* Vltimus omnis pars naturaliter inclinatur suū

4. totū potius ad operationes suas, quam ad ope-  
rationes alienas: sed anima est pars naturalis homi-  
nis: ergo plus inclinabit hominem ad operationes  
animæ quam ad operationes corporis: videmus au-  
tem contrarium in omnibus hominibus: quia omnes  
homines, aut sunt plus corporales, quam spirituales:  
aut saltem omnes homines plus incipiunt a corpo-  
ralibus actibus, quam spiritualibus: talis ergo con-  
trarietas, & perversio animæ non potest esse sine ali-  
qua infectione ad hoc animam contra naturam suam  
inclinante: talem autem infectionem dicimus pec-  
catum: eo quod per eam inclinatur ad peccatum: ergo  
peccatum est generale quoad animam.

*Ratio.* Item omnis natura sequitur naturaliter cur-  
5. sum, & ordinē, ad quē creata est, nisi superveniat  
impediens: sed anima est creata ad intelligendum, &  
non ad ignorandum, ad recolendum, & non ad



obliviscendū; ad diligendū bonum, & non ad odien-  
dum; ad gloriam, & non ad pœnam, (*vide infra hu-*  
*ius replicationem tex. 18.*) vt supra probavimus: nulla  
autem anima coniuncta corpori tot intelligit; quot  
ignorat; tot recolit, & memoratur; quot oblivisci-  
tur: diligit tantum bonum; quantum deberet dilige-  
re; habet tantum de gloria, & quiete; quantum de  
pœna, & labore; ergo ista deordinatio, & diminu-  
tio, quæ est in anima cuiuslibet hominis, est per ali-  
quid superveniens animam impediens, & á suo fine  
devians; á quo fine non posset deviare anima, nisi ef-  
set infecta: si enim nō inficeretur á corpore; non im-  
pediretur á corpore in suis naturalibus operacioni-  
bus exercendis: probatum est ergo quod peccatum  
primorum parentum quantum ad animam est om-  
nibus hominibus generare.

*Quod sit recreatio.*  
**Ratio.** I Mpossibile est aliquod ens creatum deviare,  
& frustrare Deū ab intentione sua, & fine per  
ipsum rei creatæ indito; cum ipse sit summé potens,  
& summé sapiens: sed Deus creavit hominem prin-  
cipaliter ad diligendum Deum, recolendum, & intel-  
ligendum: cum iste finis sit nobilior, & magis na-  
turalis, qui possit, & debeat dari creaturæ rationali:  
eo quod ipsa est de memoria, intellectu, & volunta-  
te; & per consequens ad beatitudinem, sed per pecca-  
tum est deviata natura humana á dicto fine; & per

con-



consequens á beatitudine; & tendit in nihilum: ergo si non est recreatio, non assequitur Deus in natura humana finem, ad quem ipsam creavit: & sic sapientia sua fuit defectiva in creando naturam humanam ad finem, quem prævidit ipsam non assequuturam: (*vide infra huius explanationem tex 7.*) sed hoc est impossibile: oportet ergo recreationem esse, per quam natura humana, quæ ratione peccati tendit in nihilum reducatur ad finem debitum.

*Ratio.* Item probatum est supra, quod natura humana tota est infecta peccato corporaliter, & spiritualiter; & sic per consequens est privata beatitudine, & gloria, & tendit ad poenam æternam: quia offendit Deum, qui est æternus: si ergo non esset recreatio, per quam fieret satisfactio generalis, sicut peccatum, & ofensa fuit generalis; omnes homines, tam justi iustitia morali, quã injusti damnarentur æternaliter; quod est impossibile: quia iustitia Dei nõ discerneret inter justum, & injustum: quia haberet subjectum confusum, & non distinctum: neque misericordia Dei haberet subjectum, in quo posset habere actum suum: neque posset salvare aliquem hominem sine recreatione, per quam fiat satisfactio de peccato: (*vide infra huius explanationem tex. 8.*) oportet ergo recreationem esse.

*Ratio.* Præterea si non esset recreatio, non posset Deus judicare peccatores ad poenam æternam pro peccato actuali, quod majus est in illo, qui peccat



peccato actuali; quam sit peccatum originale: nam qui semel judicatus est ad pœnam æternam, non potest iteratò ad pœnam æternam judicari: sed omnes homines, tam justi justitia morali, quam injusti sunt judicati ad pœnam æternam ratione peccati originalis: ergo peccatores, qui sunt in peccato actuali non poterunt judicari ad pœnam æternam, nec ad privationem beatitudinis; cum jam sint judicati: (*vid infra hujus explicationem tex. 9.*) & sic justitia Dei est defectiva in non judicando peccatum actuale, quod majus est; & in judicando peccatum originale, quod minus est: sed hoc est impossibile: ergo oportet recreationem esse.

*Ratio* 4. Vltorius virtus, & vitium sunt contraria immediate: sed per virtutes nullus homo quantumcunq; justus posset ad beatitudinem pervenire, si non esset recreatio, per quam fieret satisfactio de peccato originali: ergo nec per vitium, seu peccatũ actuale aliquis quantumcunq; peccator habebit pœnam æternam: nam sicut virtus non potest esse causa gloriæ; nec vitium causa pœnæ: (*vide infra hujus explicationem tex. 10.*) sed hoc est impossibile: oportet ergo recreationem esse.

*Ratio.* Item impossibile, & irrationabile est, Deum aliquid conservare, & facere durare in esse absq; aliquo fine, & utilitate: sed Deus gubernat mundũ, & cõservat, & cõservavit in esse á tẽpore peccati primorũ parentũ vsq; nunc: ergo hoc facit propter aliquẽ finem



finem, & utilitatem: sed si non esset recreatio, per quam fieret satisfactio de peccato, quo natura humana privatur á suo fine; multiplicatio, & generatio, seu esse hominum, & eorum, quæ sunt propter hominem ad nihilum essent vtilia, nec pervenirent ad aliquem finem: ergo non debuit, nec debet facere durare multiplicationem hominum. Si autem dicatur, quod facit durare multiplicationem hominum; ut iustitia puniat homines pro peccato originali: ergo faciet durare generationem semper; ut semper puniat: & si semper facit durare; nūquam veniet ad complementum sua iustitia, & sua punitio: & non faciet durare multiplicationem hominum propter aliquem finem: ex quo non habebit finem, quod est contradictio: oportet ergo recreationem esse.

*Ratio.* Item impossibile est creaturam aliquã plus  
6. posse destruere, quam Deus possit reparare, vel construere: quia plus posset creatura, quã Deus; & sic Deus non esset Omnipotens: sed homo per peccatum deviavit se á fine sibi indito, & naturali: ergo Deus potest eum ad pristinum finem reducere: talem autem reductionem dicimus recreationẽ: ergo Deus potest hominem recreare: & si potest recreare, recreavit: quia sicuti in creatione hominis, quia voluit creare hominem, potuit: & sic Divina Potentia fuit concomitata voluntatem: sic in recreatione, sicut potestas Divina potest recreare; debet voluntas Divina concomitare potestatem: ut quod potestas



potest, voluntas velit: cum inter potestatem, & voluntatem Divinam non sit differentia. (*vide infra huius explanationem tex. 3.*) & si objiciatur quod multi potest Deus ficere, quæ non vult facere: dicendū, quod omnia quæcunque Deus potest facere, quæ si non facit, sequitur inconueniens, vult facere, eo quia debet; cū suū posse, & suū velle coincidunt: (*vide infra huius explanationem tex. 1.*) quia ergo si nō esset recreatio sequeretur, quod Deus nō assequeretur in natura humana finem, ad quem creavit eam, & quod Deus non haberet pietatem, nec misericordiam erga naturam humanam, ipsa pœnitente de peccato, quod est inconueniens; oportet quod hoc faciat, ne sequatur aliquod inconueniens de præmissis, etiā & plura alia: ergo oportet recreationem esse.

*Quod Deus sit glorificator, quod est  
septimus articulus.*

**P**robavimus quod natura humana á sui creatione, & institutione est á Deo ad æternam beatitudinem, & gloriam ordinata: sed per peccatum primorum parentum est á suo fine deviata: & per consequens æterna gloria, & beatitudine privata: & sic æternæ miseræ subjecta. Inde arguitur sic.

*Ratio.* Omnis natura ad beatitudinem, & æternam  
1. gloriã ordinata; & ab ipsa beatitudine deviata, si reparetur, & reducatur ad statum pristinū, & finē sibi inditum, est ad eandem æternã gloriã, & beatitudinē restitu-



restituenda: sed per recreationem, quam probavimus Deum facere debere, restituetur, & reparabitur natura humana ad finē pristinū, & ad terminū sibi à Deo inditū: aliter recreatio non esset recreatio: ergo sicut Deus naturam humanam instituit, & ordinavit ad æternam beatitudinem, & gloriam: sic naturam humanam, per peccatum lapsam, restitutam, & recreatā restaurabit ad æternam beatitudinem, & gloriam: aliter non sufficienter recreasset: ergo hominum recreatorum iustorum erit Deus glorificator.

*Ratio.* Itē manifesta experientia probamus, quod  
 2. homines quanto sunt iustiores in hoc mundo, plus habent laboris corporaliter, & spiritualiter; corporaliter: quia plus dant se jejunijs, lachrymis, & orationibus: spiritualiter: quia plus dolent de offensa Dei ratione peccatorum, quæ multiplicantur in hoc mundo: si ergo Deus non daret eis aliam gloriā; quam istam, quæ est in hoc mundo; iustitia Dei esset defectiva in hoc, quod daret hominibus minūs iustis, & peccatoribus multo plus de gloria, quam magis iustis. Si autem dicatur, quod Deus non dat gloriā, quæ est in hoc mūdo; sequitur, si nō est alia gloria, quam gloria istius mundi: quod Deus nullam gloriā dabit iustis; ergo est eius iustitia defectiva: sed hoc est impossibile; ergo est alia gloria, quam Deus dabit iustis.

*Ratio.* Præterea Deus creavit hominē ad diligendū,  
 3. recolē-



recolendum, & intelligendum Deum; sed si non est alia gloria, vel vita, quam gloria, & vita huius mundi; homo finito tempore diligit, intelligit, & recollit Deum; & infinito tempore stat in privatione diligendi, recolendi, & intelligendi Deum: & hoc est contra iustitiam Dei, quod ipse permittat, amorem suum stare infinito tempore in privatione; cum Deus, eo quod est summé bonus, sit continué, & semper ab hominibus diligendus: (*vide infra huius explicationem tex. 6.*) oportet ergo dare aliam gloriam, & vitam; in qua Deus æternaliter ab hominibus diligatur.

*Ratio.* Ulterius natura humana, quæ constat ex  
4. anima, & corpore creata est ad aliqué finem, & terminum perfectum: sed in hac vita non potest ad finem perfectum venire; cum non maneat in hac vita coniunctio corporis, & animæ; imó fiat separatio: ergo oportet dare aliam vitam, in qua, unione corporis, & animæ iterata, natura humana perveniat ad suum finem, & terminum: aliter non creasset eam Deus ad aliquem finem: sed hoc est impossibile: ergo oportet dare aliam vitam; quam vitam dicimus gloriam.

*Ratio.* Item natura humana creata est ad diligendum summum bonum; & per consequens ad beatitudinem, vt supra probatum est: sed in hac vita natura humana habere non potest beatitudinem perfectam, vt manifesté videmus: oportet ergo quod

Deus



Deus det naturæ humanæ aliam gloriam, & vitam; in qua assequatur beatitudinem: aliter Deus frustra ordinasset naturam humanam ad beatitudinem, si non pertingeret beatitudinem: neque Deus esset summum bonum, & perfectum; si non esset gloria, & beatitudo assequentibus ipsum: erit ergo Deus glorificator, & dator gloriæ ipsi naturæ humanæ.

*De Incarnatione Filiij Dei, quæ est  
oçtavus articulus.*

**P**robavimus septem articulos, qui tantum pertinent ad Divinitatem: modo probare intendimus alios septem pertinentes ad humanitatem; & quia primi sex articuli, qui pertinent ad humanitatem; scilicet articulus Incarnationis, nativitatis, mortis, descensionis, resurrectionis, & ascensionis affirmant ista esse facta: nos primo probabimus ista fieri debere, secundo facta fuisse; sicut Sacrosancta Ecclesia Romana confitetur. Et sicut in articulis, qui pertinent ad Divinitatem processimus per rationes sumptas ex dignitatibus divinis, quas in Deo esse probavimus in principio huius tractatus: sic & in istis procedere intendimus. Et primo probabimus, quod Deus debuit incarnari. Secundo, quæ persona de divinis debuit incarnari; & quod debuit concipi de Spiritu Sancto, quæ omnia pertinent ad oçtavum articulum.

Quando Deus creavit mundum, dignitates divi-  
næ posuerunt similitudines suas in mundo; sicut

H

boni.



bonitas Divina in creando mundum posuit similitudinem suam in eo quod fecit eū bonum, & magnitudo in eo quod fecit magnum; & æternitas in eo quod fecit mundum durabilem, & sic de alijs: inde arguimus sic.

*Ratio.* Omne illud, per quod dignitates divinæ melius, & perfectius ostendūt perfectiones suas, & similitudines, & quietāt in mūdo; Deū facere est necessariū; cū iste sit nobilior finis, propter quē mūdo, vel aliqua creatura possit creari: ad hoc enim Deus creavit mundum, vt in eo ostenderet se ipsum, & suā intrinsecam operationem: sed si natura humana est assumpta á Deo in vnitate suppositi, vel personæ; quæ quidē persona sit verus Deus, & verus homo: ōnes dignitates divinæ habent perfecté similitudines suas in hoc opere: quia bonitas divina non potest melius opus facere de creatura; nec magnitudo majus; nec æternitas magis durabile, & sic de alis Divinis dignitatibus: si autem natura humana nō est assumpta á supposito divino; nulla dignitas divina habet perfectionem, nec quietem in productione mundi; quia divina potestas semper potest facere majus opus in mundo, & melius quocunque opere factō alio ab isto: ergo oportet incarnationem esse; vt dignitates divinæ ostendant perfecté similitudines suas in creatura, & quietentur in ea: (*vide infra huius explanationem tex. 2.*) cum in nullo alio opere extrinsecō possint quietari, nisi in isto: in isto autē quietantur.

dig-



dignitates omnes diuinæ, & operatio totalis mundi, tanquam in opere summo, & nobilissimo.

*Ratio.* Item omne id, propter quod natura humana, quæ creata est ad Deum diligendū, magis ferri potest, & moveri debet ad Deum diligendum; Deum facere est necessarium: aliter si Deus non faceret in natura humana id, per quod ipse Deus magis posset diligi á natura humana; nollet se intimé, & totaliter ab ea diligi; quod est impossibile; cum ipse sit summum bonum; & per consequens summé diligibile: vel vellet Deus se diligi summé, & totaliter á natura humana; ipso non faciente in ea totum id, per quod plus debet eum diligere: & sic requireret ab ea quod non debet exigere; & vellet relationem amoris veriús fundari in ea, quam in se ipso, quod est impossibile: sed id per quod natura humana magis ferri potest, & moveri debet ad diligendū Deum, est; si natura humana est assumpta á Deo, & ipsi vnita in vnitate personæ, in qua vna, & eadem persona est Deus, & homo: ergo oportet incarnationem esse.

*Ratio.* Præterea omne id, per quod omnes creature nobiliore, & perfectiore finem habēt in Deo, est necessarium; cum ipse sit nobilior, & perfectior finis qui possit esse: & cum ipse sit principium omnis creaturæ; & omnia ad se ordinaverit, vt supra probatum est; oportet ergo, quod sit finis, terminus, & quies omnis creaturæ: sed si Deus assūpsit



naturam humanam; omnis creatura habet suum finem in Deo, & participat cum Deo, in quantum natura humana, cum qua sola participat omnis creatura, est vnita Deo: si autem natura humana non est assumpta á Deo, nulla creatura participat cū Deo in vnitate suppositi: ergo oportet incarnationem esse, per quam omnis creatura assequatur suum finem in Deo: & non solum quemcunque finem; imó finem nobilissimum, immediatum, & intimum.

Vlterius probavimus recreationem esse debere, per quam natura humana per peccatum primorum parentum á suo fine deviata restituatur ad finem, & statum pristinum. Inde arguimus sic.

*Ratio.* In óni reparatione, recōciliatione, & recreatione creaturæ subiectæ peccato, & ofensæ, debitè, & justè facienda requiritur, quod fiat satisfactio de ofensa illi, contra quem est facta; & quod ille, qui satisfacit, debeat, & possit satisfacere: sed homo peccavit: ergo homo debet satisfacere pro peccato primorum parentum: sed homo solus, nec aliqua pura creatura potest satisfacere; quia peccatum primorum parentum est generale, vt probatum est; & infinitū; quia est contra Deum, qui est infinitus: omnis autem creatura particularis est finita: ergo huiusmodi satisfactio solum potest fieri per Deum, qui est supra omnem creaturam: non oportet autem fieri, nisi per hominem; quia homo peccavit: oportet  
ergo



ergo quod ille, qui satisfacit, si est sufficiens, & iustus, ac debitus satisfactor, & reparator, sit Deus, & homo; ut in quantum Deus possit satisfacere; in quantum autem homo debeat satisfacere: sequitur ergo incarnatio. (*vide infra huius explicationem tex. 4.*)

*Ratio.* Item sapientia divina, cum sit perfectissima, scit, & comprehendit illum maiorem amorem, quem Deus potest habere ad naturam humanam: oportet ergo quod voluntas divina diligat actum illius maioris amoris, quem sapientia scit; ut inter voluntatem divinam, & sapientiam sit concordantia: sed maior gradus amoris, quem sapientia divina scit se posse habere ad naturam humanam, est quod uniat sibi ipsam in unitate suppositi: ergo voluntas divina diligit illum gradum: & si diligit, faciet: ergo erit incarnatio. Et si objiciatur quod sapientia divina scit, quod potuit assumere naturam Angelicam, vel aliam naturam: ergo voluntas eius debuit velle. Respondemus, quod assumendo naturam Angelicam, vel aliam; non participaret cum omni creatura: & si Deus fecisset recreationem, vel liberationem naturæ humanæ per Angelum, vel per aliam creaturam, non esset natura humana sufficienter restituta; eo quod non esset in illa nobilitate, in qua erat ante peccatum: quia ante peccatum non erat subiecta, & obligata, nisi soli Deo: si autem per aliam creaturam esset reparata; esset illi creaturæ subiecta, & obligata.

Et



Et ad istam objectionem, & ad alias parati sumus, latius respondere suo loco; nunc veró dimittimus, gratia brevitatis.

*De Incarnatione Filii Dei, & eius Conceptione.*

**P**robavimus quod Deus debuit incarnari, & assumere naturam humanam: modo probare intendimus, quæ persona de Divinis debuit incarnari. Et primó probamus, quod persona Filii Dei debuit incarnari; secundó probabimus, quod eius cõceptio debuit fieri per Spiritum Sanctum.

*Ratio.* Illa persona, quæ secundum proprietatem  
 1. personalem melius est appropriata, & congruentius ordinata ad participandum cum natura humana, quã probavimus debere assumi á Deo in unitate suppositi, & personæ; & per consequens incarnari: illam dico personam incarnari est necessarium: ordo enim non potest tolli ab operationibus divinis: sed persona Filij Dei secundum proprietatem personalem est melius appropriata, & congruentius ordinata ad participandum cum natura humana, & é converso in opere incarnationis; quã persona patris, vel Spiritus Sancti: ergo personam Filij Dei incarnari est necessarium. Quod autem persona Filij Dei secundum proprietatem personalem sit magis appropriata ad participandum cum natura humana, patet; quia natura humana est filia Dei per creationem: magis  
 ergo



ergo participat natura humana, cum sit filia Dei, cum persona Filij Dei; quã cū persona Patris, vel Spiritus Sancti, quarum neutra est filia Dei. Cum etiam persona quæ debet incarnari, & assumere naturam humanam; debeat nasci; vt probabitur in sequentibus; & nativitas melius, & proprius conveniat Filio, quã Patri, vel Spiritui Sancto: similiter & incarnatio melius, & proprius convenit Filio, quam Patri, vel Spiritui Sancto.

*Ratio.* Item omne illud, per quod personæ Divinæ sunt magis distinctæ in proprietatibus suis, est necessarium: cum in Divinis sit singularior proprietatum distinctio, & in perfectiori esse distinctio, quod possit esse, vel intelligi: sed si persona Patris, vel Spiritus Sancti fuisset incarnata, fuisset filia Virginis Mariæ, à qua generaretur Pater: ergo esset Filius; vel Spiritus Sanctus esset Filius: non ergo esset in Parte singularis proprietas paternitatis; eo quod esset Pater, & Filius: nec in Spiritu Sancto esset singularis proprietas spirationis; quia esset Spiritus Sanctus, & Filius: nec esset in Filio filiatio singularis proprietas: eo quod inveniret in Patre, vel in Spiritu Sancto ratio filiationis: oportet ergo quod filius sit incarnatus; vt in Personis Divinis, ratione humanitatis assumptæ, proprietates Divinæ non sint confusæ; sed maneant singulariter distinctæ; vt in Filio sit omnis ratio filiationis.



*Quod Filij Dei conceptio debuit fieri per  
Spiritus Sanctum.*

**S**ECUADÓ probamus quod eius conceptio debuit fieri per Spiritum Sanctum, & hoc sic.

Impossibile est opus supernaturale fieri per generationem naturalem, sive per agens naturale creatum; quia nulla operatio, nec nullum agens transcendit limites suæ naturæ; sed incarnatio, quam probavimus; per quam Deus est homo, & homo est Deus in unitate suppositi, & personæ, est opus supernaturale; ergo non potuit per generationem naturalem, sive per agens naturale creatum fieri: ergo non potuit fieri per hominem: debuit ergo fieri per Deum; & specialiter per Spiritum Sanctum. Quod probamus sic.

*Ratio.* In òni opere Divino extrinseco operat̃ tota

1. Trinitas, aut secundũ vnã rationẽ communem; aut secundum proprietates personales: (*vide infra huius explicationem; tex. 20.*) sed in huiusmodi incarnatione Pater mittit Filium, vt generetur; vt sicut generat eum in natura Divina; ita suo modo generet eum in natura humana; vt in Patre sit totalis ratio paternitatis; quam generationem appellamus missionem; Filius autem est qui generatur: cũ ergo in huiusmodi incarnatione non sint, nisi tria, scilicet missio, generatio passiva, & conceptio: Patri attribuit̃

mis-



missio; generatio passiva Filio, Spiritui Sancto attribuitur conceptio; non enim debuit conceptio Filij Dei per hominem fieri: quia actus qui fuisset medius inter hominem, & matrem, Deum concipientem, non fuisset purus, & mundus; & sic ineptus, & indecens ad vniendum naturam Divinam, & humanam. In tali etiam conceptione se haberet homo per modum agentis, cum sit finitus; & natura Divina, quæ est infinita per modum patientis, quod est absurdum. Haberet etiam Filius Dei duos patres, vnum Deum, & alium hominem: & sic humanitas assumpta esset confusionis causa ratione paternitatis in Deo Patre, qui non esset singularis Pater Filio suo, quod est inconueniens.

*Ratio.* Item omnis operatio, quæ est supernaturalis, & fit ex summo amore oportet, quod fiat per illum qui est summus amor; sed conceptio prædicta est opus supernaturale; & procedit ex summo amore, quem Deus ostendit, & habet ad naturam humanam: ergo fiet per Spiritum Sanctum, qui est amor summus, & intimus Patris ad Filium, & est conuersio: qui imprimit suam similitudinem in matre concipiente; vt prius concipiat Filium mente, quam corpore: aliter non esset digna ad concipiendū; non enim debuit huiusmodi conceptio fieri per hominē: quia non fuisset talis conceptio pura, sed corrupta: eo quod foemina concipiens non fuisset virgo, sed corrupta per hominem; & sic persona Filij Dei non

assump-



assumpsisset carnem virginem, sed corruptam; & sic non esset sufficiens recreator, & reparator: eo quod non restituisset naturam humanam ad illam nobilitatem, in qua erat ante peccatum: quia natura humana in primis parentibus ante peccatum erat virgo, integra, & incorrupta: nec Filius Dei esset perfectus satisfactor peccati, nec destructor; nisi fuisset destructor, & purgator infectionis, & corruptionis sequutæ ex peccato. Si autem assumpsisset sibi carnem ex muliere corrupta; perpetuasset naturam corruptam, & exaltaisset naturam corruptam supra naturam virginem, puram, & integram. Non fuisset etiam quantum ad carnem ita nobilis homo; sicut primi parentes: propter quæ omnia, cum sint impossibilia, oportet dare, quod non sit conceptus per hominem; sed per Spiritum Sanctum: & etiam quod assumpsit carnem de virgine: & quod in conceptione mater eius permansit virgo.

*Ratio.* Præterea omnis nexus supernaturalis oportet, quod fiat per illum, cui proprium est quod sit nexus: sed nexus, & unio naturæ humanæ substantificatæ in Divina Persona Filij est nexus, & unio supernaturalis: ergo fiet per Spiritum Sanctum, qui est nexus Patris, & Filij; ut Spiritus Sanctus, qui est unio passive sumpta Patris, & Filij, sit univus naturæ Divinæ, & humanæ: ut completa ratio unionis sit in Spiritu Sancto, & proprietates singularis, & in eo singulariter reperta: non enim debuit concipi

per



per hominem: quia fuisset in conceptione hominis patris, & foeminae matris ita homo; sicut alius homo: & non posset esse incarnatio, quam probavimus esse oportere de necessitate: eo quod esset homo humanificatus, & substantificatus in humanitate, & non in Deitate: & sic in quantum homo esset persona; & non posset assumi á Deo in vnitate suppositi, seu personae: quia duae personae non possunt esse vna persona: quia ergo incarnatio est necessaria; oportet dare, quod huiusmodi conceptio non fuerit facta per hominẽ; sed per Spiritum Sanctum: ita quod natura humana sit assũpta in vnitate personae: & quod natura humana sustentetur in supposito Divino, in quo habet tantó verius, & perfectius esse, quam si esset sustentata in se ipsa, scilicet in supposito humano, vel proprio: quantó subsistentia Divini esse in omnibus omnem creatam subsistentiam antecedit.

*Quod debuerit nasci de Virgine, quod est  
nonus Articulus.*

**P**robavimus quod persona Filij Dei debuit incarnari; & quod huiusmodi Incarnatio, sive conceptio debuit fieri de Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum. Nunc intendimus probare, quod debuit nasci ex Virgine: & primo probabimus, quod debuerit nasci, secundo ex foemina; tertio ex Virgine.

*Ratio.* Nulla causa infallibiliter, & propter finem



operans operatur frustra; sed Deus est causa infallibiliter, & propter finem operans: & ordinavit, quod persona Filij assumat naturam humanam; & quod huiusmodi conceptio fiat de Spiritu Sancto, vt supra probatum est: ergo oportet, quod ad istam conceptionem sequatur natiuitas; aliter conceptio huiusmodi esset frustra.

*Ratio.* Item si persona Filij Dei, quam probauimus debere assumere naturam humanam, non nasceretur homo; non deberet facere opera recreationis; propter quam recreationem debuit assumere naturam humanam, & esse verus homo: debuit ergo nasci, & esse verus homo; vt natus faceret opera recreationis.

Secundo probamus, quod debuerit nasci ex foemina.

*Ratio.* Omnis vera hominis natiuitas est ex foemina; foeminæ enim est concipere, & conceptum fovere, & nutrire, & nutritum parturire: hoc autem non est de natura hominis: sed persona Filij Dei debuit concipi homo verus, & nasci homo verus; ergo debuit nasci ex foemina: non enim debuit nasci ex homine; ne sua natiuitas esset contra aliorum hominum natiuitates: nam si nasceretur ex homine, homo ille, ex quo nasceretur, esset eius mater: si enim diceretur, quod esset eius pater; non esset in Deo Patre singularis ratio paternitatis; eo quod non esset singularis pater suo filio; quia Filius Dei ha-  
be-



beret duos patres, vnū Deum, & alium hominem.  
Tertio probamus quod debuerit nasci de fœ-  
mina virgine.

*Ratio.* Omnis proles supernaturalis; & nobilissi-  
1. ma; supernaturaliter, & nobilissimè concep-  
ta requirit ortum supernaturalem, & nobilissimum;  
& matrem supernaturaliter parientem, & nobi-  
lissimam: aliter quantò plus proles ad esse perfectū  
accederet; accederet ad ignobilitatem: sed iste, quē  
probavimus debere concipi de Spiritu Sancto, est  
proles nobilissima, & supernaturalis; quia Deus, &  
homo: & supernaturaliter, & nobilissimè concepta;  
quia per Spiritum Sanctum: ergo ortus eius, & na-  
tivitas debuit esse nobilissima; nulla autem nativitas  
est nobilissima, nisi sit sine corruptione: nec super-  
naturalis; nisi sit ex virgine; nec mater parit super-  
naturaliter, nec est nobilissima; nisi pariat, & sit  
sine corruptione: ergo talis conceptus, vt diximus,  
debuit nasci de virgine, & sine corruptione: vt puri-  
tati, & singularitati filij responderet puritas; & sin-  
gularitas matris in sublimiori gradu puritatis, qui in  
fœmina potuit inveniri: alias relatio inter nobilissi-  
mum filium, & matrem eius claudicaret; cum tamē  
oporteat, eam esse veriore relationem omni alia  
relatione; quæ in creaturis valeat reperiri.

*Ratio.* Item impossibile est ex puritate sequi, vel  
2. causari corruptionem, vel impuritatem; cum  
ynum contrarium non sit causa effectiva alterius: sed



conceptio Filii Dei fuit purissima; quia per Spiritum Sanctum facta. ergo cum femina concipiens Deum, & hominem debuerit esse virgo, ut probatum est; ex tali conceptu non debuit sequi aliqua ignobilitas, seu corruptio in nativitate: aliter non corresponderet nativitas conceptioni: nec esset huiusmodi conceptio ordinata ad talem nativitatem: eo quod nulla nobilitas ordinari debet ad ignobilitatem: non etiam humanitas Filij Dei esset in plena obedientia, & potestate Deitatis; nec sustentata in supposito Divino; si natura Divina non operaretur ex ea in virtute naturæ Divinæ, cuius est operari sine corruptione: sequitur ergo quod sit natus, & ex femina virgine; talem autem sic conceptum, & natum dicimus debere appellari Iesum secundum rem, & effectum: eo quod per ipsum genus humanum, quod perierat, ad salutem, sicut probavimus, restauraretur.

*Quod Dominus Noster Iesus Christus mori debuit, quod est decimus Articulus.*

**P**robavimus Incarnationem Filij: & per consequens naturam humanam exaltatam a Deo quanto plus exaltari potuit: & inde arguimus sic.

*Ratio.* Omnis creatura quanto plus exaltatur a Deo, tanto Deo debet esse humilior, subjectior, & ad illi obediendum promptior: sed natura humana assumpta est magis exaltata a Deo in Domino Iesu, quam



quam exaltari possit : ergo natura humana in Domino Iesu debet se totaliter dare, & humiliare, ac exponere ad serviendum Deo, & ad omnia quæ potest pro Deo sustinere in summo gradu humilitatis, laboris, afflictionis, & obedientiæ; sed summus gradus humilitatis, obedientiæ, laboris, & afflictionis est mors : ergo natura humana in Domino Iesu debuit sustinere mortem, & quoscunque labores pro Deo; ut summæ exaltationi factæ humanitati à Deitate in Domino Iesu responderet summa humilitas, & obedientia, exhibita Deitati ab humanitate in ipso Domino Iesu.

*Ratio.* Item contrariorum contrariæ sunt causæ; sed  
 2. peccatum primorum parentum fuit perpetratum cum delectatione: ergo Dominus Iesus, qui solus potest, & debet satisfacere pro dicto peccato; quia est Deus, & homo, debet satisfacere pro ipso peccato cum passione, quæ sit in altissimo, & summo gradu passionis; ut transcendat delectationem peccati: ut peccatum deleat ratione satisfactionis: nulla autem passio est in tam summo gradu passionis, sicut mors; ergo Dominus Iesus debuit mori; ut sua morte satisfaceret pro peccato originali.

*Ratio.* Præterea primi parentes per peccatum originale inobedientes fuerunt, & deviaverunt se à Deo totaliter; quia & quantum ad voluntatē, & quantum ad corpus: ergo Dominus Iesus, qui debuit satisfacere, debuit se dare Deo totaliter, &



quantum ad voluntatem, & quantum ad corpus non potuit autem totaliter se dare Deo; nisi vellet mori pro Deo, & moreretur: ergo Dominus Iesus in quantum homo debuit mori pro Deo: ergo & voluit mori.

*Ratio.* Vltcrius impossibile est recreatorem naturæ, & reparatorem sufficientem ad satisfaciendum, imò sufficientissimum, & nobilissimū transcendendi, & superexcelli in obedientia, vel in aliquo opere recreationis, reparationis, & satisfactionis ab aliquo, qui non est recreator, & reparator: sed si Dominus Iesus, quem probavimus fore recreatorem, & reparatorem sufficientissimum, & nobilissimum; quia est Deus & homo, non fuisset mortuus: quantum ad passionem mortis, & meritum posset superari ab aliquo, qui possit mori pro Deo: ergo oportuit, eum mori pro Deo in quantum homo: vt nullus homo transcendere eum possit in obedientia, passione, & merito. (*vide infra huius explicationem text. III.*)

*Ratio.* Item omne id per quod Dominus Iesus, quem recreatorem probavimus, magis potest elevare, & animare homines ad honorandum Deum; & per consequens ad obediendum Deo, est necessarium: eo quod natura humana debet Deo reverentiam, & obedientiam totaliter, & in summo; istud etiam est nobilius opus, quod creatura possit Deo impendere; sed Dominus Iesus non potest per

ali-



aliquid tantum elevare, & animare homines ad honorandum Deum, & sustinendum pro Deo multas tribulationes, & etiam, si oportet mortem; & per consequens ad totaliter obediendum Deo; sicut si ipse Dominus Iesus verus Deus, & verus homo mortuus est propter hominem: ergo oportuit eum mori; ut suo exemplo omnes homines ad totalem Dei dilectionem, & completam obedientiam, & reverentiam animaret.

*Quod descenderit ad inferos, quod est undecimus articulus.*

**P**robavimus peccatum originale esse generale ad omnes homines corporaliter, & spiritualiter; & per consequens omnes homines privari beatitudine, & visione, seu fruitione summi boni, quæ quidem fruitio est summa Beatitudo; alias ipse Deus non esset summum bonum; & per consequens ex quo omnes homines, ratione peccati originalis recedunt à summo bono, moriuntur corporaliter; & animæ eorum post mortem corporis, ratione ejusdem peccati descendunt ad infimum; eo quod ratione peccati, & offensæ Dei debent poni suprà omnem creaturam; cum ratione inobedienciæ sint viliores omni alia creatura: sicut si non fuisset peccatum originale, ascenderent ad summum. Inde arguimus sic. *Ratio.* Omnis reparator justus, & perfectus debet facere omnia opera reparatiōnis, & recreationis: sed



Dñs Iesus fuit iustus reparator, & recreator naturæ humanæ, vt probatū est: ergo facta reparatione, & recreatione, per satisfactionem de peccato originali, debuit descendere ad inferos: vt educeret de infimis, & infernis eos, qui ratione peccati originalis apud inferos detinebantur; vt sicut voluit mori pro recreādis, & reparandis; sic descendere voluerit ad liberandum recreandos, qui in infimis, & inferis tenebantur.

*Ratio.* Item nihil naturalius, quam id eo modo dissolvi, quo & ligatum est; sed primi parentes per peccatum originale, & per actum proprium deiecerunt se, & totam posteritatem suam ad inferos: ergo Dominus Iesus, qui satisfecit de illo peccato, debuit eos extrahere ab inferis, & reducere ad superiores; vt sicut prævaricator fuit captivans, & ligans; satisfactor sit dissolvens, & liberans; aliter immediatior causa fuisset prævaricator captivationis; quā satisfactor liberationis. & licet natura Divina sit ubique; debuit facere quod natura humana, quantum ad animam rationalem descenderet ad animas eorū, quæ ratione peccati originalis detinebantur apud inferos; vt sicut tota natura humana Domini nostri Iesu Christi fuit præsens in passione, per quam recreavit humanū genus; sic anima eius fuerit præsens in recreatarum animarum ab inferis liberatione; vt totum toti correspondeat, & pars parti.

*Ratio.* Præterea impossibile est, Deum, cum sit  
justus



justus iniuste operari: sed in eodem instanti indivisibili, in quo fuit facta satisfactio pro peccato, debuit fieri ab inferis liberatio illorū, qui in inferis detinebantur ratione peccati originalis; aliter iniuste detinerentur: ergo oportuit Dominum Iesum quantum ad animam, quæ coniuncta erat Deitati, ad inferos descendere; (*vide infra huius explanationem tex. 12.*) nā si aliquam aliam creaturam misisset ad inferos, esset successio inter satisfactionem, & detentorum liberationem, ratione ordinationis missionis alterius. Si etiam Deus liberasset eos absque descensu humanæ naturæ; esset etiam ibi successio; eo quod in eodem instanti, quo facta esset satisfactio, non esset detentis nota liberatio; eo quod non possent in eodem dicto instanti comprehendere, quod per naturam humanam fuerit facta satisfactio, ex quo non esset præsens natura humana quantum ad animam.

*Ratio.* Ulterius omnis plena; & perfecta peccati  
 4. satisfactio debet fieri per actus contrarios peccato, vel ofensæ, ex quo sequitur damnatio: sed propter peccatum primorum parentum, qui ad vitam creati erant; mors ascendit ad vitam, & devicit eam; eo quod viventes sibi subiugavit, & animas eorum deiecit ad locum mortis, & ad inferos: ergo recreator, & reparator, post satisfactionem factam de dicto peccato, debuit accedere. & descendere usque ad mortem, & inferos; ut devicta, & calcata morte, eos, quos mors propter peccatum originale deiecerat ad



inferos, reduceret ad vitā, & ad superos; aliter mors fuisset magis contraria vitæ; quam vita morti; quod est impossibile: debuit ergo anima Domini Iesu, quæ semper coniuncta fuit Deitati, descendere ad inferos.

*Ratio.* Item omnis plena, perfecta, & totalis satisfactio requirit de necessitate id per quod fit dictæ satisfactionis plenior, & perfectior manifestatio; sed si anima Christi coniuncta Deitati descendit ad inferos, ubi detinebantur mortui propter peccatum originale, fuit facta manifestatio satisfactionis dicti peccati, tam liberandis, qui erant liberandi ab inferis; quam non liberandis: manifestatur etiam ipsius liberatoris, & reparatoris victoria, & dominium; ac ad liberandos maior pietas, dominium, & humilitas: ergo debuit descendere ad inferos, ad liberandum illos, qui fidem in eius adventu habuerunt.

*Quod Dñs Iesus Christus debuit resurgere á mortuis, quod est duodecimus articulus.*

**P**robavimus, quod Dominus Iesus mori debuit in quantum homo; & per eius mortem mundum fuisse recreatum. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Quandounque aliqua duo naturaliter, & substantialiter uniantur; si propter aliquid faciendum, vel habendum separentur; illo facto, vel habito, propter quod separabantur; debent iteratim substantialiter uniri; aliás non separabantur propter id tantum: sed anima, & corpus Domini Iesu fuerunt

runt



sunt substantialiter vnita; aliter non fuisset verus homo: & mors eius, in qua fuit separatio animæ á corpore, fuit, vt per mortem eius fieret de peccato originali satisfactio, & humani generis reparatio: ergo facta satisfactio, & reparatione, debuit anima eius vniri corpori; aliter non fuisset mortuus propter peccati satisfactionem, & generis humani reparationem; sed propter aliquid aliud, quod non esset iam factum; sed hoc est impossibile, & falsum, vt patet ex præmissis: ergo oportet, quod anima eius sit iteratõ corpori vnita: sequitur ergo quod resurrexit. Et si dicatur contra nos, quod secundum istam rationem videtur probari, quod immediatè post mortem debuit resurgere: dicendum, quod non est verum: quoniam si citò, vel quasi statim post mortem resurgeret; posset dubitari de morte eius, & credi, quod non fuisset verè mortuus; sed forte in extasi positus; quare mors eius debuit declarari per mortis, & resurrectionis congruum intervallum.

*Ratio.* Item pro bono opere non debet irrogari  
 2. alicui iniuria; sed potius honor, & reverentia; sed opus satisfactionis, & recreationis, quod Dominus Iesus operatus est per mortem suam, fuit opus, non solum bonum; imò optimum: ergo ex illo non debet Domino Iesu Christo irrogari iniuria; sed potius honor, & reverentia: sed si facta recreatione, non resurrexit; corpus eius remansit iniuriatum: eo quod vnitum non est animæ, per quam vivebat; &

ks.

ad



ad quam habet naturalem inclinationem: remanet etiam inhonoratum; quia mortuum; cum corpus vivum sit nobilius corpore mortuo: ergo oportet dare quod resurrexit.

*Ratio* Præterea Deus, cum sit iustus, non permit-  
 3 tit, vt creaturæ ordinatæ ad vitã dominetur mors sine culpa: sed Dominus Iesus, qui est verus Deus, & verus homo mori voluit, & debuit, vt supra probavimus, non pro sua culpa; quia nullam culpam habuit: si enim culpã habuisset, nõ potuisset satisfacisse de peccato originali; nec fuisset idoneus reparator, & recreator: sed mori voluit pro satisfactione peccati, & culpæ originalis primorũ parentũ, & reparatione humani generis: ergo facti satisfactione, & reparatione, non debuit mors Domino Iesu dominari; nec pro culpa sua, quam nunquam habuit, nec pro aliena, quam iam delevit: ergo resurrexit.

*Ratio.* Vltcrius impossibile est, inter naturã Divi-  
 4 nam, & humanam in Domino Iesu esse contrarietatem; cum inter vtranaque naturam in Domino Iesu sit summa concordantia, & vnio; & per consequens summus amor, & intimus; sed anima Domini Iesu naturaliter appetit suum corpus, & maxime ex quo facta est reparatio, & recreatio: ergo natura Divina volet animæ suum corpus restituere; aliter esset inter vtrãq; naturã, Divinã scilicet, & humanã in Domino Iesu, quantum ad voluntatẽ contrarietas: & si debet velle, & potest facere, cũ sit Omni-



potens, faciet: resurrexit ergo Dñs Iesus á mortuis.  
*Ratio.* Item quantó aliquid intimiús vnitur aliqui-  
 bus; tantó, si fiat separatio inter ea, vehemen-  
 tius appetit vnionem illorum: sed natura Divina in  
 Domino Iesu, seu Deus intimiús sibi vnivit naturam  
 humanã; quam eius anima fuerit vnita suo corpori;  
 eo quod natura humana erat sustantificata in sup-  
 posito Divino, in quo erat & ipsa natura: cum ergo  
 anima eius appetat vniri suo corpori, recreatione fac-  
 ta, á quo fuit separata propter recreationem facien-  
 dam: natura Divina, seu facta Deus recreatione, for-  
 tiús appetit vnionem corporis, & animæ Domini  
 Iesu: sequitur ergo quod Dominus Iesus resurrexit.

*Quod Dominus Iesus ad Cælos ascenderit,  
 quod est terdecimus Articulus.*

**P**robavimus, quod Dominus Iesus resurrexit:  
 nunc probare intendimus, quod ad Cælos as-  
 cenderit.

*Ratio.* Nobilissimæ naturæ corporali debetur lo-  
 cus nobilissimus; vt inter locatum, & locans  
 sit proportio: sed natura humana est nobilior omni  
 alia creatura corporali; & inter omnes homines Do-  
 minus Iesus est nobilior homo, qui fuerit, vel esse  
 possit: ergo sibi debetur locus nobilissimus: sed locus  
 quantó sublimior, tantó nobilior; ergo ad Cælos, vt  
 ad locum nobiliorem, & sibi debitum, & propor-  
 tionatum ascendere debuit.



*Ratio.* Item illa creatura, per quam omnia creata sunt reparata, & ad finem debitum restituta, est super omnia creata collocanda; & omnia creata debent ei esse submissa, & reverentiam exhibere: sed per Dominum Iesum omnia creata sunt reparata, & ad finem debitum restituta: natura enim corporalis est ad finem debitum per eum restituta; eo quod natura humana, propter quam omnia corporalia sunt creata, est per eum restituta; & reparata natura etiam spiritualis; eo quod participat cum natura humana, quantum ad animam, quæ est substantia spiritualis; & quia est ad Dominum Iesum ordinata; eo quod ipse est nobilior omni creatura: ergo super omnem creaturam collocari, & ascendere debuit; & in eius ascensu omnis creatura eidem famulatum, & reverentiam debuit exhibere: aliter staret contra naturam suam, & omnium creatorum: sicut enim si oleum esset in centro aquæ; staret ibi contra naturam suam, cuius est ascendere supra aquam; etiam staret contra naturam aquæ; eo quod occuparet locum aquæ: & nisi impediretur, ascenderet supra aquam naturaliter: quinimo & aqua eidem cederet naturaliter; & se ut gradum, vel scalam in eius ascensu exhiberet: sic imò multo fortius Dominus Iesus debuit ad Cælos ascendere: aliter si staret citra, staret violenter, & contra naturam suam, & omnium creatorum: quam violentiam non potest aliquid creatum, neque potuit inferre, ut patet ex præmissis; nec Deus, qui semper cum iustitia operatur.



*Ratio.* Præterea omni naturæ ad beatitudinem ordinatæ debetur locus, qui meliùs est ad beatitudinem dispositus; sed Dominus Iesus, in quantum homo, est ordinatus ad beatitudinem in summo: ergo sibi debetur locus ad beatitudinem summè dispositus: talis autè est locus cælestis: ergo debuit ad cælos ascendere.

*Ratio.* Ulterius omni naturæ sanctæ, & incorruptibili debetur locus purus, nō terrenus, nec corruptioni deditus; sed elongatus á corruptione; sed Dominus Iesus est naturæ purissimæ, sanctissimæ, & incorruptibilis: ergo debetur sibi locus non terrenus, nec corruptioni deditus; sed purissimus, & á corruptione elongatissimus; locus autem cælestis est talis: ergo sibi debetur locus cælestis: ergo debuit ad cælos ascendere.

*Ratio.* Item omne id, per quod gloria, & pœna, cum sint contrariæ, & beati, & damnati magis distant ab invicem, est necessarium: sed damnatis debetur locus infimus, scilicet centrum: ergo beatis, & sanctis debetur locus summus; talis autem est locus cælestis; cum ergo Dominus Iesus sit beator, & sanctior omnibus aliis sanctis; debet esse in altiori loco, quam cæteri beati, & sancti; debuit ergo ad cælos ascendere.

*Quod articuli sex, qui pertinent ad humanitatem, quos probavimus debere fieri, sunt jam facti.*

L

Probavi



**P**robavimus, quod Deus debuit assumere naturam humanam: & per consequens, quod fuit verus homo; & quod debuit nasci, mori, descendere ad inferos, resurgere á mortuis, ascendere ad cælos. Et quia fides Catholica credit, & asserit, ista já esse facta; nos intendimus probare ista omnia esse facta, sicut Sacrosancta Romana Ecclesia confitetur. Et licet videatur, quod ad probandum, quod ista sint jam facta, non possint haberi rationes, cum sit quaestio facti; ad quod probandum non possunt induci, nisi testes, vel instrumenta in aliqua secta, vel scientia. Quis enim probabit, Moysen legem Iudæorum á Deo accepisse; & ipsum Moysen eam iudæis tradidisse; nisi credatur scripturis iudæorum? Quis probabit Machometum sectam Sarracenorum instituisse, nisi credatur scripturis, & libris eorum? Quis probabit Imperatorem Iustinianum legalem scientiam, vt hodie traditur, instituisse; si non credatur libris legalibus? Quis probabit Romulum condidisse Romam, si non credatur libris, & gestis Romanorum? Et sic discurrendo per omnes scientias, & facta præterita, invenietur, quod non potest probari, quod ab illis, qui dicuntur factores, vel inventores, sint facta, vel inventa; si non credatur testibus, si extant, vel attestationibus testium, si ipsi non extant, vel aliis scripturis. Et si de attestationibus testium, & per scripturas fides sumatur, & probatio; nulla secta ita est vallata, & roborata attestationib<sup>9</sup> testiũ, scripturis,

&



& instrumentis; sicut fides Christiana, quam Sacrosancta Romana Ecclesia confitetur: quæ enim secta tot habet testes, quot fides Christiana? pro qua testificanda, & confitenda, millia millium hominum sunt martyrizata: imó quod singulare est, & mirabile; nulla secta moriendo fundata est, nec multiplicata; nec lætatur de moriētibus, nisi sola fides Christiana. Quæ secta tot scripturas, tã altas, tã multiplices, omnes ad vnam fidei Christianæ veritatem cōcurrentes habet, sicut fides Christiana? Imó si scripturæ aliarum sectarum librentur, & comparentur ad scripturas fidei Christianæ; non videntur scripturæ; sed potius quædam rudimenta, & deliramenta: quinimo fides Christiana tam evidentibus signis, & miraculis est probata, & per Dominum Nostrum Iesum-Christum, & eum sequentes tam evidenter tradita, ac etiam declarata, quod dicta signa, & miracula non potuerunt fieri, nisi á Deo: neque per ipsum Dominum Iesum-Christum potuissent talia fieri; qualia fecit; nec tam evidenter tradi, & declarari quæ nobis tradidit; nisi ipse esset verus Deus, & verus homo: & per consequens vera omnia, quæ nos facere docuit, & faciendo firmavit. Et licet ex quo Christiani habent substantiam veritatis, deberet eis credi de accidentibus, utpoté de actore, & tēpore; sicut creditur Iudæis de Moyse, Sarracenis de Machometo, Romanis de Romulo, legistis de Iustiniano; eo quod ipsi habent factorū per eos substantiã. Nos



tamen ad abundantiam nostri tractatus, & laudem fidei Christianæ, ad probandum illum, quem fides Christiana confitetur, verum Iesum-Christum esse; & per consequens vera esse quæ fecit, & docuit; speciales intēdimus inducere rationes: & probato, quod ipse, quem fides Christiana confitetur, sit verus Iesus; probatum erit, quod est incarnatus, natus, mortuus, & sic de alijs articulis.

Probavimus maiorem veritatem, quæ sit, vel possit esse, quantum ad articulos fidei Christianæ, quos veros esse probavimus. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Impossibile est optimam, & altissimam veritatem inveniri, & doceri á peiori, & infimiori homine, & ab illo, qui fuit falsior homo, & maior inimicus Dei, qui fuerit, vel esse possit: quia sequeretur, quod peior homo de mundo, & falsior superasset omnes bonos homines in inventionem, & doctrinam: & sic vnus & idem homo fuisset peior homo, & melior totius mundi: sed si ille Iesus Christus, in quem Christiani credunt, vel quicumque alius, qui se Christum dixit, & hanc veritatem articulo- rum, quos probavimus, docuit; non fuit verus Iesus Christus: ipse fuit peior homo, qui fuerit, vel esse possit, & maior inimicus Dei; quia docuit se Deum esse, & fecit se Deum, cum non esset; & fædavit, & corrupit maiorem veritatem, quæ esse possit: ergo istam summam veritatem invenire non potuit, & docere: cū ergo ista summa veritas, quæ probavimus

ad



ad Christianos pervenerit; oportet illum, á quo ista summa veritas ad Christianos pervenit, veracē fuisse; & ex consequenti vera docuisse.

*Ratio.* Præterea Deus, cū sit summé sapiens, & summé bonus, sic debet disponere operationes suas, quod in eis non sit confusio, & falsitas: sed si Dominus Iesus nondum venit; Christiani, qui fuerunt, & sunt, sunt in errore, quantum ad hoc, quod nondū venit, quem dicunt venisse: cum ergo probaverimus, quod venire debeat; si nondum venit; quando veniet, non credent in eum Christiani; quia iam credunt eum venisse: nec Iudæi, nec Sarraceni, nec aliqui alij credent in eum; quia nulli credunt eum, esse debere talem, qualem eum nos esse debere probavimus: ergo quando veniet, adventus eius erit ignotus, & inutilis; eo quod non credetur ei ab aliquo: & illi, qui non credent in eum, habebunt excusationem de incredulitate eorum; eo quod ille qui veniet, si verus Christus est, docebit eandem veritatem, quā Christiani tenent, quam nos veram esse probavimus: & poterunt rationabiliter dicere, quod non credent in eum; eo quod possent ita in eo decipi; sicut Christiani, qui eandem veritatem credunt, fuerunt decepti in eo, qui se dixit Christum, cum Christus non esset: & maximé, quia ille qui veniet; cum debeat esse, vt probavimus, verus Deus, & verus homo; nō possit illū, in quem Christiani credunt, qui non fuit verus Deus, nec verus homo, transcendere in doctrina.



*Ratio* Item omnis veritas magis dependet ab illo, qui eam primo invenit, & docuit; quã ab illo, qui eam non invenit: sed veritas articuloꝝ fidei Christianæ, quos veros esse probavimus, inventa est, & incepta, quantum ad eiusdem veritatis manifestationem, & doctrinam, ab illo, á quo Christiani eam habuerunt: ergo magis dependet ab eo; quam ab aliquo alio, qui post eum eam docuit, vel docebit, & non invenit: sed si ille, á quo Christiani habuerunt istam veritatem, non fuit verus Christus; sed est adhuc venturus; verius dependet veritas prædicta ab illo, qui non fuit Christus: quia primo invenit eam, & docuit; quam ab illo, qui erit verus Christus: sed hoc est impossibile: oportet ergo dare, quod ille, qui dictam veritatem manifestavit Christianis, fuerit verus Christus, & talis, qualem se esse docuit; ne nobilissima veritas á falsitate incipiat.

*Ratio.* Ulterius impossibile est, altissimam, & infinitam veritatem inveniri in sublimi gradu eius ab aliqua creatura, per se naturaliter, sine lumine supernaturali, & adiutorio Dei: sed veritas articuloꝝ, quos probavimus, est altissima, & infinita veritas, quantum ad articulos, qui pertinent ad Divinitatem. & est maior veritas, quæ esse possit in aliqua creatura, quantum ad articulos, qui pertinent ad humanitatẽ: & in tantum est ista veritas altissima, infinita, & magna; quod hodie etiã, postquam dicta veritas est manifestata Christianis, asseritur á multis  
 Chris-



Christianis, quod ad istam veritatem non potest homo venire per rationem; sed solū per fidem: ergo nulla creatura per se, & sine adiutorio Dei ipsi in venire potuit. Et si dicatur, quod á Deo est manifestata; sequitur ex præmissis; quod Deus cum sit iustus, & sapiens, non debuit eam manifestare homini falso, & in falsitate persistenti ante dictam manifestationem, & post: nec debuit eam manifestare cum falsitate temporis, & personæ; ne summam veritatem principiaret in falso subjecto: quia Deus hoc faciendo, faceret altissimæ veritati maiorem iniuriã, quæ altissimæ veritati posset fieri: imò ipse Deus, cū sit summé bonus, non debet sustinere, quod summa, & nobilissima veritas habeat falsum principium: sed si ille, quem credunt Christiani venisse, nondū venit; omnes Christiani sunt in falsitate, & omnes alij á Christianis sunt etiam in falsitate: quia non credunt, eum esse debere talem, qualem eum esse debere, probavimus: ergo oportet, eum veritas dictorum articulorum pervenerit ad Christianos, quod á Deo ad eos pervenerit; & in vero homine fuerit sustentata, & principiata: & per consequens talis veritas est vera, non solum quantum ad eius substantiam; sed etiam quantum ad personam, & tempus, & alia accidentia.

*Ratio.* Item si Dominus Iesus Christus, in quem Christiani credunt, & cuius doctrinam amplectuntur, nondū venit, Christiani, Iudæi, Sarraceni,



& quæcunque alia secta, est in errore, & falsitate: Christiani enim, licet credant articulos fidei Christianæ, quos veros esse probavimus; & quantum ad hoc sint in veritate: tamen si ille, quem credunt venisse, nondum venit; sunt quantum ad hoc in errore & falsitate. Iudæi etiam, & Sarraceni, & quæcunque sint aliæ sectæ sunt in falsitate: quia nulla secta alia á Christianis credit eum debere esse talem, qualem esse debere probavimus: sequitur ergo, quod omnes homines, qui sunt, & qui fuerunt, sint in errore. Nec aliquis homo habet notitiam de Deo; nec aliquis homo est amicus Dei; neque Deus habet populum; neque Deus diligit veritatem; eo quod nõ est sibi cura de manifestatione veritatis; nec Deus cõpatitur hominibus; cū omnes homines permittat in falsitate persistere, & errore; quæ omnia sunt satis evidenter irrationabilia. Sequitur etiam ulterius, si dicta ratio diligenter consideretur, quod nec á modo venire poterit; eo quod nulla secta credat, illum, qui venturus est, esse talem, qualem esse debere probavimus: & sic in nulla secta invenietur aliqua fœmina, quæ sit idonea ad eum concipiendum, ex quo non credet in eum: nec aliquis populus est dispositus ad eum recipiendum, ex quo non habet fidem in eo: & sic non erit incarnatio, nec recreatio, quam necessarium esse probavimus: oportet ergo, quod Dominus Iesus Christus, in quem credunt Christiani, sit verus Iesus: & per consequens sua Doctrina sit

sit



sit vera, & saluberrima. Ex quo ulterius sequitur, quod sex articuli, qui pertinet ad humanitatē Christi non solum debeant esse veri; sed etiam sint verificati, & facti, sicut Sacrosancta Romana Ecclesia confitetur.

*Quod Dominus Iesus Christus debeat iudicare vivos, & mortuos, quod est quatuordecimus Articulus.*

**A**D probandum quod Dominus Iesus debeat iudicare omnes homines, tam vivos, quam mortuos, volumus primó probare, quod generatio hominum habebit finem: secundó, quod omnes homines resurgent cum corporibus suis: tertió, quod Dominus Iesus eos debeat iudicare.

*Quod generatio hominum habebit finem.*

**P**robavimus superius, quod homo totus, scilicet cum corpore, & anima á sui institutione est ordinatus ad beatitudinem: & per peccatum est á beatitudine deviatus: per passionem autem, & mortem Domini Iesu est totus, scilicet cum corpore, & anima ad beatitudinem recreatus, & restauratus; aliter non esset sufficienter recreatus. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Impossibile est materiam finitam sufficere ad corpora infinita: sed si generatio hominum nunquam haber finem; corpora hominum erunt infinita: ergo aut deficiet materia, quia creata, de qua

**M**

**fiant**



fiat corpora hominum; cum sint infinita: aut oportet ponere circulationem in corporibus hominum: sed circulatio in corporibus hominum poni non potest: cum totus homo sit ad beatitudinem cum anima, & corpore ordinatus, si iustus est: vel totus cum anima, & corpore ordinatus ad poenam, si iniustus est: ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem.

*Ratio.* Præterea si generatio hominum nunquam habet finem, sapientia Dei non novit numerum hominum generandorum; cum generatio hominum, & multiplicatio duret in infinitum; & per consequens numerus sit innumerabilis, ex quo infinitus est: & sic potestas Divina dedit naturæ humanæ potestatem multiplicandi homines in infinitum, quos sapientia non novit: & est differentia inter sapientiam Divinam, & potestatem; sed hoc est impossibile: ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem.

*Ratio.* Item Deus qui creavit mundum, ut supra probatum est, ordinavit generationem, & multiplicationem hominum: aut ergo ordinavit eam ad aliquid, seu propter aliquid; aut non ad aliquid: si non ad aliquid, frustra ordinavit; imò sequitur, quod non ordinavit, quod est impossibile. Si autem ordinavit eam ad aliquid; ipsa generatio assequetur illud: aliter non esset ordinata ad illud: & si illud assequitur, quiescet, & terminabitur in illo; quia omne

quod

quod

quod



quod movetur naturaliter ad aliquid, illo habito naturaliter quiescit in illo: sequitur ergo, quod aut generatio hominum habebit finem: aut quod non est propter aliquid facta, neque ad aliquid ordinata: sed hoc est multipliciter impossibile: ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem. Sequitur etiam si generatio non est propter aliquid, neque ad aliquid ordinata, quod non est ab agente apposita, neque a natura; sed a casu, vel a fortuna; & sic non est naturalis: nihil autem quod est a casu, vel a fortuna potest esse perpetuum, neque a parte ante, neque a parte post: ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem.

*Ratio* Vltimus si generatio hominum non habeat finem; cum hominum quidam sint boni, quidam mali; aut homines boni erunt infiniti, & homines mali infiniti: aut boni erunt infiniti, & mali finiti: aut mali infiniti, & boni finiti: non enim est dare quartum membrum divisionis, scilicet quod boni, & mali sint finiti: quia nullum infinitum potest constare ex finitis. Si autem boni sint infiniti; non erit dare materiam pro corporibus malorum: quia corpora bonorum, qui sunt infiniti, indigent tota materia, & non sufficit eis: nullus ergo homo malus dānabitur, ex quo corpus suū nō poterit reassumere. Si etiā mali sunt infiniti; non erit dare materiam pro corporibus iustorum: cum tota materia sit necessaria pro corporibus malorum, neq; sufficiat;



cum sint infiniti: ergo oportet dare, quod aut boni salventur, & mali non damnentur; aut quod mali damnentur, & boni non salventur. Si autem boni, & mali sint infiniti; nec omnes boni, nec omnes mali possunt pervenire ad beatitudinem, vel ad poenam. Tum quia generatio hominum, quæ ponitur durare in infinitum, indigebit materia pro corporibus generandorum; tum quia materia, cum sit finita, non sufficiet ad corpora infinita: & ita plures erunt non beati, quia infiniti; quã beati, quia finiti: & plures non damnati, quia infiniti; quam dãnati, quia finiti: aut nullus beatificabitur, nec aliquis dãnabitur. Sequitur etiã si boni sunt infiniti, & mali infiniti, quod cum nihil sit maius infinito, mali infiniti, & boni infiniti non erunt in numero plures, quam boni tantum, cum sint infiniti; vel quam mali tantum, cum sint infiniti: sed omnia supra dicta sunt manifeste impossibilia; ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem.

*Ratio.* Item si generatio hominum non habet finem; motus est infinitus, quia nõ habet finem, & tempus similiter: sed si tempus est infinitum; non habet partem finitam; cum infinitum non constet ex finitis: ergo hominum, qui generantur, & corrumpuntur; quorum esse duratio, & existere est finitum; eorum existentia, quæ est in tempore, non mensurabitur tempore: aut si mensuratur tempore, mensurabitur tempore infinito, cum sit finita, quorũ

utrum;



utrumque est impossibile: ergo oportet, quod generatio hominum habeat finem.

*Quod omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

**H**omo, ut supra sæpè dictum est, à sui institutione est ad beatitudinem ordinatus: & per consequens ad vitam: sed per peccatum est à beatitudine deviat. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Natura humana est recreata, & ad suum finem restituta per mortem Domini Iesv, ut supra ptobavimus: sed si homo non peccasset, tota humana natura, scilicet cum corpore, & anima erat ad beatitudinem assumenda: ergo cum sufficienter sit recreata; tota scilicet cum corpore, & anima est ad beatitudinem assumenda, quantum ad iustos: aut tota, scilicet cum corpore, & anima, quantum ad iniustos est ad æternam miseriam deducenda: oportet ergo hominum esse resurrectionem.

*Ratio.* Præterea omnis operatio meritoria, vel de  
2. meritoria procedens ab homine, principalius, & veriùs attribuitur composito, & supposito; quã partibus eius, ut operari bonum, vel malum veriùs attribuitur homini; quam animæ, vel corpori; cum actus sint principaliter suppositorum: cum ergo homo sit ille, qui operatur bonum, vel malum; & anima non sit homo, nec corpus sit homo; oportet esse hominum resurrectionem; ut qui totus, scilicet



cum corpore, & anima bené egit; totus, scilicet cū corpore, & anima remuneretur: & qui totus malé egit, pro malo totus, scilicet cum corpore, & anima puniatur. erit ergo hominum resurrectio:

*Ratio.* Item si non resurgerent homines cū corporibus suis; non participaret Dominus Iesvs, quem supra probavimus, in beatitudine, & vita æterna cum hominibus; sed cum animabus eorum; corpus etiam Domini Iesv non videretur corporaliter, nec verbum eius audiretur, nec ipse daret gloriam alicui naturæ corporali; & corpus suum solum staret in gloria; quæ omnia sunt irrationabilia, & impossibilia: oportet ergo esse hominum resurrectionem.

*Ratio.* Ulterius impossibile est Deum, cum sit iustus aliquid dimittere impunitum, vel irremuneratum: sed experientia certa videmus, quod multi homines boni in hoc mundo sustinent multas iniurias, adversitates, tribulationes, & labores corporales; & faciunt multa bona, & meritoria opera corporalia, & quasi quandiu sunt in hoc mundo, sunt in afflictione corporis continua. Et multi homines mali sunt, qui habent multas malas, & inordinatas delectationes corporales, & quasi continuas; & committunt multa enormia, de quibus non portant pœnam in hoc mundo: ergo oportet resurrectionem hominum esse; vt Deus retribuatur bonis in corporibus eorum pro bono, quod fecerunt

in



in illis corporibus; & malis det pœnam pro malis, quæ fecerunt in illis corporibus: aliter Deus non iusté procederet.

*Ratio.* Item si non resurgerent homines cum corporibus suis; nulla anima haberet beatitudinē perfectam, nec completam gloriam; quia cum naturaliter anima inclinetur ad suum corpus, eo quod anima á Deo creata est, vt cum corpore constituat hominem; si non re haberet suum corpus, privaretur suo desiderio naturali; & ita non haberet gloriam perfectam; eo quod non assequeretur suum desiderium naturale: sed hoc est impossibile: ergo oportet esse hominum resurrectionem. Sequitur etiam, si non resurgant homines cum corporibus suis, quod aut anima, quæ est pars, sit nobis ior suo toto; eo quod anima erit beata; homo autem non: aut quod nec anima, neque homo perveniant ad beatitudinem: cuius contrarium multipliciter superius est probatum.

*Quod Dominus iesus Christus debeat omnes homines iudicare.*

**A**D probandum, quod Dominus Iesus debeat omnes homines iudicare; primo volumus probare, quod debet esse omnium hominum iudicium generale; & quod Deus debeat esse iudex illius iudicij: secundo quod Dominus Iesus, qui est verus Iesus, & verus homo debet esse iudex illius iudicii.



Manifestum est, quod omnium hominum conditio in duas partes divisa est: quia quidam eorum sunt boni, quidam mali. Inde arguimus sic.

*Ratio.* Nullus iudex iustus debet bonos, & malos ad eundem locum admittere, nec ad eos uniformiter se habere; sed debet inter eos discernere, & secundum quod diversimode operati sunt retribuere; & per consequens inter eos iudicare; & pro bono debet retribuere bonis, secundum quod plus, vel minus boni fecerunt: malis autem poenam, & supplicium, secundum quod plus, vel minus mali fecerunt; cum iustitia sit ius suum unicuique tribuere: sed Deus est iudex iustus; imò nullus alius est iudex iustus, nisi ipse; quod enim ipse sit iustus satis patet ex superioribus: quod autem ipse solus debeat esse iudex, patet, eo quod ipse solus est Dominus omnium, quia omnia fecit; & ad ipsum pertinet primo, & immediatè omnis operatio creaturæ, siue bona, siue mala: ipse etiam solus est, qui potest retribuere, & punire; cum ipse solus sit omnipotens; & ipse etiam solus est, qui novit omnium hominum merita, & demerita, quantum ad facta, & etiam cogitata, non solum quantū ad numerum; sed etiam quantum intensa sunt, & remissa: cum enim sit solus, & summè sapiens; solus omnia etiam, si præterita sunt, ut præsentia contemplatur: ergo debet inter bonos, & malos discernere, & diversimodè retribuere, & punire; & per consequens

inter



inter eos iudicare: oportet ergo esse iudicium omnium hominum generale.

*Ratio.* Præterea omnia iudicia particularia, & inferiora debent per iudicē generalem, & superiorem examinari, & examinata ratificando, vel infirmando, iudicari, & regulari: alias esset error in iudicijs; eo quod in eis possunt homines falli: & nō esset ordo in iudicijs: iusticia etiam Dei esset defeciva; si non se extenderet ad omnia iudicia regulanda: sed omnes actus hominum, tam interiores, quam exteriores sunt quædam iudicia; quia cum libertate fiunt: ergo omnia debent per superiorem iudicem examinari, & ratificari, vel infirmari: sed solus Deus est superior ad omnes homines: ergo omnium actuum hominum debet ipse esse iudex, qui solus novit omnia, & solus potest omnia facta vno instanti omnibus declarare. Debet etiam istud iudicium esse vnū, & generale; in quo omnes homines debent adesse: & post resurrectionem hominum: aliter non esset omnibus manifestum.

Secundo probamus, quod Dominus Iesus debet esse iudex illius iudicij.

*Ratio.* Nullus iudex tam idoneus est, sicut ille, qui  
 1. participat cum vtraque partium, inter quas debet esse iudicium; & qui novit merita vtriusq; partis non solum secundum scientiam; sed & secundū experientiam: sed natura humana debet iudicari pro ijs, quæ fecit secundum voluntatem Dei, vel contra

N

volun-



voluntatem Dei: ergo nullus tam conveniens iudex est, sicut ille, qui participat cum Deo, & cum homine; talis autem est Dominus Iesus, qui est verus Deus, & verus homo, ut supra probavimus: ergo ipse debet esse iudex omnium hominum generalis.

*Ratio.* Præterea omne iudicium ritè ordinatum  
 2. requirit, quod sit manifestum, & notum omnibus, qui iudicandi sunt: sed omnes homines constant ex corpore, & anima: ergo iudicium hominū debet esse notum, non solum spiritualiter; sed etiam corporaliter: sed si Deus solus iudicaret; persona sua non videretur oculo corporali; nec sua sententia audiretur, nec perciperetur aliquo sensu corporali: ergo oportet, quod ille qui iudicat sit talis, quod suum iudicium possit perfectè, & completè, scilicet spiritualiter, & corporaliter manifestare: talis autem est solus Dominus Iesus; cum sit verus Deus, & verus homo: ergo ipse debet esse iudex.

*Ratio.* Item nullus tam idoneus iudex est, sicut  
 3. ille, in quo reperiuntur, & concordant iustitia, mansuetudo, & misericordia: sed in Domino Iesu & iustitia summa, cum sit verus Deus; & mansuetudo, & misericordia, cum sit verus homo, per quā naturam inclinatur ad miserendum hominibus, qui cum eo participant, insimul concordant: ergo ipse debet iudicare; ut in iudicio adsit Divinitas, quæ excitet eum ad iustitiam; & humanitas, quæ inclinet eum ad misericordiam.

De



*De fine huius tractatus.*

**T**Ractatum istum hac intentione fecimus, ut fideles & devoti Christiani attendant, quod cum nulla secta alia a fide Christiana probari possit esse vera, nec defendi a sequentibus, seu defendentibus eam: nec possit fidem Christianam rationabiliter impugnare: eo quod omnes sunt innixæ falso, & frivolo fundamento: fides autem Christiana non solum possit defendi contra omnes impugnantes eam: sed etiam probari; & quamcumque aliam sectam infringere per necessarias rationes: sicut patet ex rationibus supra dictis. Ob Zelum fidei animati, ardenti desiderio meditentur, quod cum nihil possit resistere veritati; eo quod sit super omnia fortior; per viam, & fortitudinem rationum, cum Dei adiutorio, & virtute, poterunt infideles reducere ad semitam veritatis; sicque nomē Domini Iesv, omni laude dignissimum, quod in plerisque mundi partibus, & a quam plurimis ignoratur, manifestabitur, & habebitur in reverentia, & honore. Et hæc via ad convertendum infideles est facilior omnibus alijs: durū enim, & periculosum videtur infidelibus credulitatem suam, pro aliena credulitate, seu fide dimittere: sed falsum, & impossibile, pro vero, & necessariō non deserere, quis eorum poterit sustinere? Et si dicatur, quod in hoc tractatu possunt nobis fieri aliqua objectiones, ad quas non respondimus; dicimus



quod in hoc tractatu hoc tantum in intentione habuimus; ut ostenderemus, quod fides Christiana probari poterat per necessarias rationes. (*vide infra huius explicationem tex. 24.*) Et licet si totus tractatus memoriter teneatur, credamus, solutiones multarum obiectionum eum diligenter intelligentibus apparere: nos aliquas dimisimus gratia brevitatis: offerimus nos tamen sine præsumptione, in virtute fidei Christianæ, ad omnes obiectiones infidelium respondere; & eis tales contra eorum sectas, & pro fide Christiana positiones facere, & probare, quod ad eas nullatenus poterunt respondere. Et si dicatur, quod velle rationibus inniti deroget fidei, vel fidei merito: dicimus, quod fideles, qui non quærunt intelligere, ut credant; sed credentes, quod si non crediderint, non intelligent; fidem simpliciter, & constantissimè amplectentes; ad tantam possunt in virtute eiusdem fidei sublimitatem intelligentiæ elevari, quod ipsa fides, quæ voluntatis firmiter eam credentium erat vita, pabulum, & fomentum; sua fundamenta, quibus innititur, necessarias scilicet rationes ministrabit eisdem; quæ sint confortativum, exaltativum, illustrativum, ac intellectus speculum obiectivum. Ipsa autem fides, ad instar supernatantis olei, in sublimem confurgens, tanto ad altiorem gradum in eisdem credentibus elevatur; quanto intellectus multiplicatis necessarijs rationibus altiore sibi scalam erexit: eo quod ipsa fides, intellectum in se ipsa  
fun-



fundans; eumque, investigando, continué con-  
comitans, & confortans; supra intellectus vires, & po-  
tentiam excandescit: quia fatigari nesciens, semper  
nititur intentiús, & altiús ad credendum: propter  
quod fides altiús erigitur, & meritum credentium  
ampliatur. Verum si dicatur nobis, quod aliqua, vel  
multæ de rationibus supra scriptis alibi sunt insertæ:  
dicimus, quod nos invenimus eas secundum modũ,  
& artem tabulæ, quam edidimus, generalis: tamen  
si alibi, & ab alijs sint repertæ; quanto in pluribus  
libris, & á pluribus sint dictæ; tanto amplius exul-  
tamus; nos enim ad aliud non intendimus nisi ad  
ostendendum, quod fides Christiana, vel fideles per  
eam possunt quamcumque aliam sectam per ratio-  
nes convincere; infidelesque convertere; & nomẽ  
Dei per cuncta climata mundi celebre, & solemne  
omnibus declarare.

*Exortatio.*

**P**ROPTER quod flexis genibus, cum humilitate, &  
reverentia quanta possumus, Sanctissimo Patri  
Summo Pontifici Domino Bonifacio Christi Vica-  
rio, & Dominis Cardinalibus supplicamus; ut ipsi  
dictam viam amplectantur: cum inter omnes vias,  
ad convertendum infideles, & recuperationem terræ  
Sanctæ, ista sit levior, facilior, velocior, & amica-  
bilior, ac magis consona charitati: tantoque omni-  
bus alijs viis fortior; quanto arma spiritualia sunt



corpotalibus fortiora: hæc enim armatos suos nõ onerant, nec molestant; non hebetantur ictibus, nec franguntur, non rubiginantur algoribus, neque caloribus dissolvuntur: sed quanto plus in virtute eorum agitur; tanto subtiliùs acuuntur, multiplicanturque, multipliciùs armatosque suos agiliores, fortiores, armatiores, & audaciores faciunt, plusquam in principio; in medio, & in fine; præter multa alia, quæ enarrare omittimus; ne sæcularibus potestatibus videamur in aliquo derogare: licet ipsi possint, & debeant rationabiliter cogitare, quod arma clericorum sunt armis eorum nobiliora, & etiã fortiora.

*Operis huius compositi loci, & temporis descriptio.*

**F**ACTUS fuit iste tractat<sup>9</sup> Romæ, Anno Dñi 1296. & completus ibidẽ in vigilia B. Ioannis Baptistæ Præcursoris Dñi Iesv Christi: cui placeat Dñm deprecari; vt sicut ipse fuit præco lucis, & luminis; & ipsam, qui vera lux est, digito demonstravit, suoque tẽpore fuit gratia inchoata: sic placeat Domino Iesv Christo novam lucẽ mundo infundere: ad cuius lumen ambulantes infideles conversi nobiscum securẽ occurrant eidem Dño Iesu-Christo; cui est honor, & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**F I N I S.**

**INDEX**




# I N D E X.

<p><b>Q</b>uod ens summè bonū sit. pag. 8.</p> <p>Quod sit dare ens infinite magnum. pag. 9.</p> <p>Quod ens æternū sit, pag. 10.</p> <p>Quod ens infinitum in potestate sit. pag. 11.</p> <p>Quod ens summum in virtute sit. ibid.</p> <p>Quod sit vnus Deus tantū, quod est 1. art. pag. 13.</p> <p>Quod in Deo sit personarum pluralitas. Et primo qd sint duæ personæ, quod est secundus art. pag. 15.</p> <p>Quare persona producens dicatur Pater, &amp; producta dicatur Filius, quod est tertius art. pag. 19.</p> <p>Quod in Divinis sit dare tertiã personam, quod est 4. articulus. pag. 20.</p> <p>Quare persona procedens à Patre, &amp; Filio dicatur Spiritus Sãctus. pag. 22.</p> <p>Quod in Divinis sint tantū tres personæ. pag. 24.</p>	<p>De creatione, quæ est quintus articulus. pag 28.</p> <p>De recreatione, quæ est sextus articulus. pag. 31.</p> <p>Quod primi parentes peccaverunt. ibid.</p> <p>Quod peccatum primorū parentū sit generale omnibus hominibus corporaliter. pag. 36.</p> <p>Quod peccatū primorū parentū sit generale omnib⁹ hominib⁹ quantum ad animã pag 39.</p> <p>Quod sit recreatio. pag 44.</p> <p>Quod Deus sit Glorificator, quod est 7. art. pag 48.</p> <p>De Incarnatione Filij Dei, quæ est 8. art. pag. 51.</p> <p>De Incarnatione Filij Dei, &amp; eius Cõceptione. pag 56.</p> <p>Quod Filij Dei conceptio debuit fieri per Spiritum Sanctum. pag. 58.</p> <p>Quod debuerit nasci de Virgine, qd est 9. art. pa. 61.</p> <p>Quod Dñs N. Iesus Christus mori debuit, quod est 10. arti-</p>
--	---



## I N D E X.

<p><i>articulus.</i> pag. 64.</p> <p><i>Quod descenderit ad inferos,</i> quod est 11. art. pag. 67.</p> <p><i>Quod Dñs Iesus Christus de-</i> <i>buit resurgere á mortuis,</i> qd est 12. art. pag. 70.</p> <p><i>Quod Dñs Iesus ad Celos af-</i> <i>cenderit,</i> quod est terde- cimus art. pag. 73.</p> <p><i>Quod articuli sex, qui per-</i> <i>tinent ad humanitatem,</i> quos probavimus debere fieri, sunt já facti. pa. 75.</p>	<p><i>Quod Dñs Iesus Christus de-</i> <i>beat iudicare vivos, &amp;</i> <i>mortuos,</i> quod est quatu- ordecimus art. pag. 83.</p> <p><i>Quod generatio hominũ ha-</i> <i>bebit finem.</i> ibid.</p> <p><i>Quod omnes homines resur-</i> <i>gere habent cum corpo-</i> <i>ribus suis.</i> pag. 87.</p> <p><i>Quod Dñs Iesus Christus de-</i> <i>beat omnes homines iu-</i> <i>dicare.</i> pag. 89.</p> <p><i>De fine huius tract.</i> pag. 93.</p>
---	---



### ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 1. lin. 5. inde leg. vnde. pag. 2. lin. 20. expetitissimo, le. ex-  
perientissimo. pag. 3. lin. 4. tum, leg. cū. pag. 4. lin. 3. ipsæ, le.  
ipsi. lin. 4. fortificari. le. fortificati. lin. 17. sciant, leg. sciat. pa.  
5. lin. 10. vnũ leg. autem. lin. 12. fit, leg. sit. pa. 8. lin. 5. neutũ,  
leg. neutrũ. pag. 12. li. 8. quod, leg. quo. pag. 17. lin. 7. castum,  
leg. castrum pag. 18. lin. 1. infititũ, leg. infinitũ. pag. 19. lin. 3.  
pricipalem, leg. principalem. pag. 21. lin. 23. uisi, leg. nisi.  
pag. 27. lin. 21. iill, leg. illi. li. 24. pefectè leg. perfectè. pa. 29.  
li. 14. accœpit, le. accepit. pa. 34. li. 9. nos le. nõ. li. 24. inœpit,  
leg. inœpuit, pag. 41. li. 18. hiis, le. iis. pag. 44. li. 16. generafe,  
leg. generale. pag. 54. li. 27. autũ, le. autẽ. pa. 58. li. 18. Parte,  
le. Patre. pag. 58. li. 5. nullũ, le. vllũ. pa. 70. li. 8. Deitati. leg.  
Deitati. pag. 72. lln. 28. fit, le. sit. pa. 84. li. 10. nom, leg. non  
lin. 16. differentia leg. differentia.







Handwritten text in a cursive script, likely a library or archival stamp, oriented vertically. The text is difficult to decipher but appears to include a date or number '1873' at the top, followed by several lines of text that may be 'L. J. ...' and '...'. The script is dark and somewhat faded on a light background.

R.

L1111

252